MEDITATIONES IN PASSIONEM ET RESVRRECTIONEM IESV CHRISTI,

Dispositæ per hebdomadam.

Auctore Egberto Spitholdio S. T. L.
Canonico & Plebano Antuerpiensi.

Accedunt eiusdem Auctoris pia Precationum & Contemplationum Exercitia:

Quæ sacrosanctum MISSAE sacrificium, & sacrum S. ROMANAE ECCLESIAE Officium spectant.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XII.

MEDITATIONES IN PASSIONEM ET RESVRRECTIONEM IESV CHRISTI,

Dispositæ per hebdomadam.

Auctore Egberto Spitholdio S. T. L.
Canonico & Plebano Antuerpiensi.

Accedunt eiusdem Auctoris pia Precationum & Contemplationum Exercitia:

Quæ sacrosanctum MISSAE sacrificium, & sacrum S. ROMANAE ECCLESIAE Officium spectant.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XII.

Reueren^mo in Christo Patri ac Domino,

D. IOANNI MALDERO EPISCOPO ANTVERPIENSI

Domino suo vnicè colendo

EGBERTVS SPITHOLDIVS.



MPLISSIME PRAESVL, *ordo charitatis ac iustitiæ requirit, vt inferiores superioribus gratulentur: maximè cùm in publicum & commune bonum aßumuntur, & tamquam Aaron ad Sacerdotij apicem vocantur. Sed, vt verum fatear, nescio an magis vobis,*

quàm nobis ipsis congaudere debeam. Magna siquidem vobis collata est dignitas, at nobis maior facta est gratia, quòd T. R^am in qua omnia ferè reperiuntur, quæ duobus præcipuè locis Doctor gentium Episcopo asscribit, felicissimè nacti sumus. Nos quidem nitemur prudentia, bonitate, ac cunctis donis tuis, tam industria acquisitis, quàm gratia Dei elargitis; tua enim Rev^a curam animarum omnium in se recepit. Quocircà mihi persuasum habeo, quòd hoc edito libello tuæ R. optimè gratulari possim, non tantùm gaudens de dignitate, sed multò magis optans in omnibus felicem successum, quo in Deo, per Deum, & cum Deo Opt. ter Max.

omnia tua finem sortiantur. Ad quod R^mus^ MIRAEVS piæ recordationis, glaciem scindendo, viam satis planam reddidit. Hinc in sanctißimis CHRISTI Domini vulneribus T. R^am^ Deo commendatam cupio, vt hic cum omnibus electis, qui sunt in cælo & in terra, vnum efficiatur; & in tempore angustiarum, tribulationum & miseriarum, ad hæc Sacrosancta vulnera, quasi columba ad fenestram dum accipiter appropinquat, refugium habeat. Hic enim solummodò pax & tranquillitas vera inuenitur, hîc tantummodò quies post laborem nobis datur, hîc cuncta mala superantur, hîc cum Deo inhabitare possumus, dicentes

cum ſponſa in Canticis cantico-rum: Faſciculus myrrhæ dile-ctus meus mihi: inter vbera mea commorabitur. *Vt igitur debito charitatis officio T. R. gra-tularer, hoc opuſculum Meditatio-num* PASSIONIS DOMI-NICAE *Reuerendiſſimæ T.* AM-PLITVDINI *dedicatum vo-lui. Scio equidem, pro humilitate qua fulget T. R. tam gratum hoc munus paruum, quàm aliquod aliud volumen, quale fórſitan in poſterum à doctioribus expecta-bit. Ego cum muliere vidua & paupere, hoc quod habeo, quaſi æra minuta duo in gazophylacium mitto, vbi non res, ſed animus dantis eſt penſandus. Munerum*

*enim animus optimus. Tua verò R^ma^* PATERNITAS, *quæ inter omnes sicut pater inter filios versatur, hoc munus paruum non aspernabitur, sed sicut parens pius, filij candorem æquo animo accipiet. Antuerpiæ, Feria quarta Cinerum,* M. DC. XII.



Canticor. cap. 1.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

Threnorum cap. 1.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.

MEDITATIONES IN PASSIONEM IESV CHRISTI, diſpoſitæ per hebdomadam.

FERIA SECVNDA.

PRIMAE MEDITATIONIS PARS PRIMA.



PATER de cælis Deus,cùm vires & ſenſus meos recolligo, ad cor meum in te eleuandum,& te in anima mea recipiendum ; quid potiſſimùm pro recreatione mea, & pro debita gratiarum actione tuę diuinę Maieſtati rependenda,in contemplationem aſſumam? Beneficia ab initio nobis collata ſunt tanta,tam multa & varia , vt à quo principium ducam,ignorem. Cùm igitur tua diuina inſpiratione hoc mecum perpendo,nihil mihi ſalubrius,nec tuæ paternæ bonitati gratius inuenio , quàm

finem & consummationem diuinæ incarnationis, qui proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus illum in mortem, mortem autem crucis, tradidisti. Quomodo autem hoc effectum curaueris, iam expendere cupio, ad affectus meos mouendos, & vires interiores diuino amore inflammandas; vt ego tantorum beneficiorum memoriam agens, & tãtam charitatem mihi exhibitam expendens, totus saltem ad redamandum accẽdar, qui tali amore à tanto amatore præuentus sum. O Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, conforta me in hac hora, vt seclusis omnibus negotiis externis, cunctis phantasmatibus & imaginationibus vanis in nihilum redactis, ego ex toto corde ad te conuersus, in me perfectè sentiam quanto amore nos filios hominum prosecutus sis, quando Filium tuum vnigenitum de alto cælorum habitaculo in hanc diram lacrymarum vallem misisti; vt per ipsum in omnibus erudiremur, & ipse nobis omnium virtutum ac bonorum operum exemplum fieret. Misisti autem il-

lum, vt quos amas, eius vestigiis insistere faceres. Sed vt hoc facere incipiam, da, illum in corde ac sensibus semper præsentem habeam, quocumq. me etiam recipiam: quidquid agam, siue dormiam, siue vigilem, omnia mea cum amaræ passionis memoria sint cõiuncta: imò non comedam aut bibam, nisi illud in pretioso eius sanguine cum summo dolore pro me effuso intingam; vt cibus & potus ad veram peccatorum pœnitentiam, & ad pium excitandum amorem erga ipsum (cui totum debeo, quod habeo & sum) mihi sapiat. O Deus Pater omnipotens ad hoc me dirige, vt te incessanter laudem atque glorificem per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus; quem ad eum finem misisti in hunc mũdum in nostra natura, vt per ipsum in virtute Spiritus sancti omnes tecum essemus. Ad hoc igitur me adiuua, vt inter electos cum Christo Iesu in te vnum efficiar; hîc in gratia, & posteà in gloria. Amen.

PARS SECVNDA.

VT autem, ô Pater cælestis, in meditatione dilecti Filij tui cum fructu me exerceam, da, à vera compassione, ad quam semper teneor, ex eo quòd pro me omnia tulerit & fecerit, principium ducam. Omnem igitur dolorem, quem tum in horto tum in aliis plerisque locis perpessus est, ita in me traham, vt si nō in corpore, saltem in corde eum sentiam; atque ita particeps fiam, ac si præsens ei interfuissem. Scio enim, quòd, licet passio eius transierit, vt eam mea compassione mitigare nequeam, tamen citra hoc quòd ei condoleo, tibi placere nequeo. Coheredes namque illius erimus (*Rom.* 8.) si compatimur, vt & conglorificemur. Si tantam erga nos declarauit charitatem, vt pro similitudine (*Hebr.* 4.) absque peccato per omnia sit tentatus, vt possit compati infirmitatibus nostris; quomodo non compatiar illi, qui sua passione & morte, me ab ęterna passione & morte liberare voluit? Quomodo non compatiar illi, qui Filius Dei est, cęlū & terram implēs, iam ex regali stirpe Dauid

homo factus, conceptus de Spiritu sancto, natus ex intemerata Virgine matre, sapientissimus, sanctissimus, ac maximè sincerus? qui (1. *Petri* 2.) peccatum non fecit, in cuius ore non est dolus inuentus, qui nec te Patrem suum cælestem nec hominem vmquam offendit; sed duxit tam piam conuersationem, vt numquam riserit, lacrymatus autem sit sæpissimè, deflens peccata nostra: qui speciosus præ filijs hominum, perfectissimæ complexionis, & sensus acutissimi: qui pro me intolerabiles dolores in omnibus membris ac sensibus, internis & externis, sustinuit: quippe in quo nihil erat secundùm inferiorem hominem, quin totum fuerit doloribus plenum, seclusa omni consolatione interiore & exteriore, cùm diuinitatē sibi vnitam, magis nouercam, quàm matrē senserit: vtpote quę humanam naturam ita sibi reliquit, vt verè quartū in cruce verbū dixerit: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Dum hæc mecum expendo, ô Deus Pater omnium, quomodo non dolens & contristatus incedam, quasi paratus (si possibile fo-
 ret)

ret) ad participādum cum illo, & prompto animo accipiendum. de manu tua, quæcumque etiam mihi eueniant. Eia igitur, Pater miſericordiarum, da ſemel in corde meo ſentiam, quantopere pro me Dominus meus & Deus meus laborauerit, quò in veritate ſemel ex toto corde ipſi compati valeam.

Prætereà Domine Deus ſalutis meæ, da per benedicti Filij tui paſſioné amariſſimam, veram compunctionem & dolorem pro peccatis, ad agnoſcendum quàm abominabilia ipſa ſint. da, vt ex hac intolerabili dilecti Filij tui Domini noſtri paſſione peccati magnitudinem cognoſcam; vtpote, quod in te, qui infinitè magnus es, infinitum erat; vt ſecundùm diuinam iuſtitiam non niſi ab Omnipotente tolli, atque in nihilum redigi potuerit. Quare vel homo infinitis tormentis conſumi debebat, (quod poſſibile non erat) vel perpetuam cum damnatis in inferno pœnam ſuſtinere, vel quiſpiam infinitæ potentiæ pro eo ſatisfacere debebat, qualis erat Filius tuus benedictus, infinitus dignitate ſubſtantiæ & potentiæ; quem peccata

mea de ſummo cælorum habitaculo in hanc diram lacrymarum vallem pertraxerũt. Si enim ego non peccaſſem, tuus dilectus Filius incarnatus non fuiſſet, nec paſſus, nec mortuus. Meritò ergo mihi abominandum peccatum, quod Dominum meum ac Deum meum in crucem pertraxit. Nam ſicuti peccatori peccata in inferno locum præparant, & furi furtum pœnam mortis: ita cuiuſlibet hominis peccata ei neceſſitatẽ moriendi attulerunt. Sed nec putandum grauitatem peccati diminutam, quòd Dominus non tantùm pro me, verùm pro toto mundo paſſus eſt. Hinc enim non peccatum extenuatur, ſed virtus paſſionis dilecti Filij tui aperitur, quòd non pro vno, nec pro paucis, verùm pro omnibus abundanter ſatisfecerit: vti ſol non vni homini, ſed æqualiter omnibus inſeruit; cùm vnus ſolus tantum, quantum totus mundus de eius ſeruitio recipiat. Et vt non minùs mortem homini infert, ſi ſolus quiſpiam eum ferro trucidat, quàm ſi ad hoc peragendum decem ſibi aſſumat: ita mors dilecti Filij tui tam fuit neceſſaria ad vnum pecca-

tum

tum mortale tollendum, quàm ad totum genus humanum absoluendum, cùm ego non minùs gratiam eius in me experiar, quàm si pro me solo passus esset. Adferet ne igitur mihi passio benedicti Filij tui compunctionem & dolorem? Imò, dum hæc mecum considero, meritò sanguineas lacrymas emittam, ex eo quòd propter peccata mea huius passionis sim causa. Eia igitur, Deus meus & omnia, commoue cor meum, quoties in meditationem passionis Dominicæ descendo, vt per eam quotidie vitæ emendationem consequār.

PARS TERTIA.

PRæterea, ô Pater misericordiarum, necessaria mihi est imitatio passionis dilecti Filij tui, si non incassum eam meditari voluero. Ad hoc enim passus est (1. *Pet.* 2.) vt exemplum nobis daret, & vestigia eius sequeremur. Duo autem mihi potissimùm imitanda. Alterum est, desiderium patiendi pro illo, qui tanta pro me perpeti dignatus est. Largire mihi ô Domine hanc voluntatem, ne omnino pusillaminis in mea tribulatione efficiar; sed ampliùs

ſemper pati deſiderem, donec pro mea fragilitate, per mortem ſatisfecero. Alterum quod mihi imitandum, eſt virtutum aggregatio: quæ ſi vnquam in vita, in morte multò abundantiùs ſeſe aperuerunt. Quamuis enim ſicut ouis ad occiſionẽ ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, non aperiens os ſuum; tamen de cathedra Crucis omnem virtutem docuit, imò docuit modo perfectiſſimo, omni interiore conſolatione, quæ vt plurimùm virtutes ſequitur, deſtitutus. O igitur Pater omnium, da mihi in huius ſacræ paſſionis meditatione diligenter attendere, quas quouis loco virtutes operatus ſit, vt cor meum inflammetur, & eas in me ſentiens imitari valeam. Fuit profectò humillimus, cùm multis & variis modis in deriſum eſſet omni populo, tum quando veſte alba, eaq. longiſſima, ductus eſt per plateas, tum quando purpureo veſtimento circumdatus, coronam ſpineam in capite ſuo benedicto portauit, tum etiam quando cum homine ſeditioſo, ac viro homicida ſiue latrone comparatus eſt, imò eo

deterior iudicatus est, vbi ipse latro vita donatus & Saluator noster morti adiudicatus est, ac in cruce denique medius tamquam princeps latronum pependit: quæ omnia opprobria & contumelias corde humillimo pertulit. Da mihi ô Pater hoc imitari, vt in omni iniuria, contemptu & opprobrio, coram te me semper humiliem, & cogitem me decere, vt tuo dilecto Filio conformer.

Mansuetudinem declarauit, quando pius & modestus omnia mala patienter tulit, & alto ac mirabili silentio ad iniurias & cõtumelias conticuit. Non enim se excusauit, neminem verbo læsit, nulli malè locutus, aut iniuriam fecit. O Pater misericordiarum, da, in vita tantam colam mansuetudinem, vt iniuriarum immemor ad cuncta mihi aduersantia sileam, imò potiùs omnia vel à minimo perferã, quàm duriùs loquar, aut verbo, vel facto vllum mortalium contristem.

Obedientiam fortiter aperuit, quando non solùm tibi Patri suo cęlesti obediens fuit vsque ad mortem, mortem autem crucis, sed etiam iniquis iudicibus & sceleratis nequam, quos simpli-

citer,

citer, benignè & constanter secutus est, dum vestibus exueretur, & purpura circumdaretur, dum coronam spineam in piissimo capite acciperet, & crucis onere grauatus ad montem Caluariæ duceretur, manus ac pedes extenderet obtusis clauis perforandos, & ad alia multa tormenta perferenda sese accommodaret. O Pater benignissime, da & mihi hanc obedientiam, quò cunctis me inferiorem iudicem, & vel minimo propter te obedientiam præstem, ad gloriam nominis tui, & animæ meæ salutem. Pro gaudio ducam, dum abnegans meipsum, alterius voluntati in cogitando, loquendo, & operando obsecutus fuero, vt ita per me sanctissimum nomen tuum semper prædicetur atque laudetur, hîc & in perpetuum. Amen.

PARS QVARTA.

CHaritatem etiam perfectam, ô Pater æterne, Vnigenitus tuus in passione sua manifestauit, quando non solùm amicos, verùm etiam inimicos, à quibus omnem dolorem, iniuriam, & contumeliam accepit, dilexit. Imò in tantum eos dilexit, vt non hostes, sed

amicos reputauerit, optans illis quæque felicissima, ac orans pro ipsis in passione sibi ab illis illata, vt à malo resipiscentes ad cor redirent. Et dicebat per Prophetam (*Psal.* 104.) Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Cõfixus autem cruci, vbi tã pretiosus sanguis de benedictis manibus & pedibus efflueret, in fortitudine orauit, dicẽs: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tandem cùm in manus tuas spiritum suum commendaret, astantium corda fide inflammauit, & ad pœnitentiam commouit, vt alij dicerent, Verè hic homo Filius Dei erat; alij verò percutientes pectora sua, ad ciuitatem reuerterentur. O nunc Pater de cęlis Deus operare perfectè in me, vt ex passione dilecti Filij tui charitatem attendens, ipsius vestigiis insistam, diligendo ex toto corde omnes homines, tam paruos quàm magnos, tam inimicos quàm amicos. Imò sic diligam, vt ne inimicitiam quidem sentiam; sed adnitar, vt summa hostilitas summæ amicitiæ occasionem præbeat ad omnes homines lucrifaciendos, in eo

qui

qui me ſupra modum dilexit. Si hoc effectum curauero, numquam ab iracundia ſuperabor, ſed mala cũcta ad exemplum dilecti Filij tui in bono vincam. Si hoc in paſſione Domini mei inueniam, non fruſtrà in ea me exercuero.

Verùm charitatis filia miſericordia magna fuit in ipſo, quando veſtes, honorem, famam, cor iuuenile, ſanitatem, vires animæ, pretioſum ſanguinem, animam & corpus ex miſericordia nobis donauit. Hæc omnia neceſſaria dedit nobis, imò ſeipſum totum; vt nos, qui nihil eramus, per ipſum verum eſſe conſequeremur. Ad hunc modum, ô Pater omnipotens, paſſio benedicti Filij tui ad miſericordiam me prouocet, vt totum quod per te ſum, proximis meis propter te impendam, & hoc totum apud te in perpetuum inueniam.

Inſuper ex paſſione dilecti Filij tui etiam mundum cõtemnere diſco. Nam quæcumque mundus admiratur & magni facit, reiicit ille; & mundo terribilia elegit, quando pro diuitiis extremam paupertatem, pro honore contumelias, pro voluptate tormenta, pro fauore lu-

dibria

dibria acceptauit. O Domine cæli & terræ, versabor in hac palæstra perfectionis, & non exercebor in virtutibus? Eia da, cum tuo dilecto Filio, sponso mihi sanguinum, eligam à mundo contemni, affectē potiùs contumelia quàm honore affici, potiùs cum Christo Saluatore meo in pœnis, tentatione & tribulatione inueniri, quàm in delitiis aut voluptatibus, & magis gratam habeam paupertatem, quàm diuitiarum abundantiam. Ab his dependet salus nostra. Oportet enim membrum cum capite conuenire, nec sponsæ aliter quàm sponso esse debet.

Perseuerantiam quoque in hac Christi Domini passione addisco. Nam matris dolore, aut amicorum tristitia superatus non est, nec hostium contumelia victus, nec tormentorum asperitate prostratus. Quamuis dicerent; Si Filius Dei est, liberet eum nunc si vult; non est tamen motus, quin semper in omnibus conuitiis perseuerauerit. Quomodo ergo ego diabolicis suggestionibus, carnis motibus, aut consilio prauo sinam me vinci? Est ne mihi salubrius pugnare

susti-

ſuſtinendo, & abſtinendo cunctis diebus vitæ meæ, quàm vel in minimo locum dare diabolo? O mi Pater, da ex meditatione Paſſionis Dominicę omnes has & alias virtutes addiſcam, vt hiſce in dies occupatus prudentior efficiar, ad maiorem ſemper vitæ perfectionem conſequendam, quò tamquam ſponſa tandem cum ſponſo meo conueniam, & ex toto in me ſentiam, quod & in illo, vt tu in me operans per ipſum tibi in me complaceas, nunc & in perpetuum. Amen.

Secunda MEDITATIO, *ad deuotionem per* CHRISTI *Paßionem acquirendam.*

PARS PRIMA.

O PATER de cęlis Deus, exercebo ne me in meditatione paſſionis Domini ac Saluatoris mei Ieſu Chriſti dilecti Filij tui, quæ me ad gratiarũ actionem pro omnibus beneficiis prouocat? Omnino Pater. Nam ſi aliquo modo gratum animũ exhibere volo, non poſſum in aliquo ſalubriùs ver-

ſari, quàm in paſſione ſponſi mei mellitiſſimi. Quia per gratiarum actionem recordamur beneficiorum nobis exhibitorum, & ad laudem progredientes gratias agimus, non ſolùm verbis (quæ ſanè minima eſt gratitudo) ſed multò magis corde & reipſa, vt hæc ſeriò meditantes caueamus nos ab omni re te ad iracundiam prouocante, nullamque interim negligentes occaſionem, qua laudem tuam enuntiemus. Huius profectò occaſio ſeſe offert, quoties Chriſti Filij tui paſſionem & mortem expendo. Verùm, ô Deus totius conſolationis, quinque ſunt quæ nos ad gratiarum actionem mouere debent. Primum eſt, malum, à quo per paſſionem Saluatoris noſtri liberati ſumus. Et quod eſt illud? Peccatum omnium malorum maximum, mentis cæcitas, cordis durities, ſeruitus diaboli, fœditas animę, præſens periculum æterni ignis, ita grauis, vt cogitationem ſuperet; ita diuturni, vt finem neſciat; ita certi, vt ſine dilecto Filio tuo vitari nequeat. Si ab his omnibus paſſione ipſius liberati ſumus, quomodo me ad gratiarũ actio-

nem

nem non mouebit? Secundum est, quod per hanc tanta beneficia consecuti sumus, videlicet gratiam, iustitiam, adoptionem filiorum Dei, Sacramenta, sacrificium, virtutes, promissiones vitæ æternæ, denique bona omnia animæ & corporis, interna & externa. Nihil enim bonorum in vita humana, quod non Christi passio donauit, vel conseruauit: nónne ergo meritò hæc ingrati animi crimen abhorrere nos faciet? Tertium est, personæ dignitas. Est ne Saluator noster Filius tuus dilectus, qui tecum viuit & regnat in omnibus, & adimplet totum vniuersum? Quò igitur magis eius nobilitatem inspicio, & quæ perpessus est considero, eò magis ad gratiarum actionem moueor. Quartum est, modus præstiti beneficij, quod videlicet gratis & non sine summo labore nobis exhibuit. Cælum & terram vnà tecum condidit, nulla suscepta molestia, solo verbo; redemit autem nos doloribus, sanguine pretioso, & vita sua: omnibusque collatis, nihil à nobis requirit præter laudem & gratiarum actionem; quæ pri-

ma in eo pòſita eſt, vt rectè beneficiis eius vtamur. Eia igitur Domine largire, vt per hujus dilecti Filij tui paſſionis meditationem incaleſcam, & perfectum ignem gratiarum actionis in me ſentiam. Quintum eſt, conditio perſonæ cui hoc beneficium collatum eſt; quæ ſanè viliſſima eſt, hoſtilis, & maximè ingrata. Quid enim, ô Pater, & Deus cæli ac terræ, nos fœtidiſſimum ſperma, puluis & cinis, ſumus? Si (vt ait Sapiens *Sap*, 11.) ante te eſt totus orbis terrarum ſicut gutta roris antelucani, qui deſcendit in terram, & ſtatim aſcendente ſole, aut etiam in ſe-ipſa conſumitur; quid erit ad te collatus vnus homuncio, qui nihil eſt, ſi cum toto vniuerſo comparetur? Hanc vilitatem noſtram ſatis expreſſit ſanctus Iob Propheta: (*cap*. 17.) Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & ſoror mea, vermibus. Iam verò non ſolùm viles, ſed hoſtes quoque eramus, auerſi à te, qui gratiam tuam nec petere, nec quærere ſtudebamus: imò oblatã etiam tãquam inſani reſpuebamus. Dum ergo, ô Pater omnipotens, agnoſco me à

ſum-

ſummo, certo & perpetuo malo liberatum; & ſummo incomparabiliq́ue bono, à ſumma Maieſtate, hoc eſt Filio tuo dilecto, dotatum, per tantum laborem, dolorem & tormenta, quibus nullus mortalium perferendis par fuiſſet; numquid tam vilis, abiecta, & peccatis fœdata creatura, cum laude & gratiarum actione clamabit, ad te laudandum & prædicandum per Spiritus ſancti cooperationem pro his in Filio tuo? Omnino. Eia igitur, Deus Pater omnium, recollige ſenſus & cor meum, expelle omnem acediam, phantaſmata & cogitationes peſſimas, vt in meditatione paſſionis Dominicæ ſemper gratus inueniar. Amen.

PARS SECVNDA.

BEnedictus ſis tu Deus Pater omnipotens. Nam benedicti Filij tui paſſio dat etiam mihi ſpem ad ſolatium obtinendum hîc & in perpetuum. Tria ſunt quæ ſpem noſtram vacillare faciunt. Primum eſt, claritas & mundicies, quæ requiruntur ad vitam æternam; in quam nihil coinquinatum, aut abominationem faciens aut menda-

cium, intrabit. (*Apoc.21.*) Sed ſicuti gloria æternæ vitæ magnam munditiam requirit, ita Chriſti Filij tui paſſio & ſanguis lauat omnes iniquitates noſtras, animam ſole reddit clariorem, efficit nos filios Dei, & dat ius ad vitam æternam, vt iam non in alienam, ſed noſtram hereditatem ingrediamur, quam Chriſtus Dominus ſua paſſione & morte nobis acquiſiuit. Secundum, quod ſpem noſtram extenuat, eſt exactum examen Iudicis, qui etiam de quolibet otioſo verbo exiget rationem, penetrabitq; vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, ſcrutabiturque cogitationes & intentiones cordis. Verum eſt, erit diſtrictum hoc iudicium; ſed paſſionis Chriſti dilecti Filij tui merita ſeueritatem hãc perferre poſſunt, cùm maior ſit ſatisfactio quàm debita, & peccata numero ſint finita, merita autem magnitudine infinita: & denique cùm Chriſtus ipſe iudex futurus ſit, qui fuit aduocatus, mediator, redemptor; qui vt mihi cælũ daret, eius modò pretium obtulit, ſanguinem (inquam) pro me effuſum, cuius ipſe, quẽ magno

labore

labore effudit, non ignorat dignitatem. Tertiò tandem infirmam reddit nostram ſpem, quòd tam viles peccatorum ſarcinæ ſumus, qui peccatis quotidianis toties tuam diuinam iuſtitiam offendimus, & pleni concupiſcentiis ac imperfectionibus viuimus, & cordis noſtri interiora ipſimet penetrare nequimus. Quare S. Iob (*cap. 9.*) dicit: Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Atque hinc ſępè deſpondemus animum. Vt verum fatear, vilitas noſtra ſatis magna eſt, cùm à nobis nihil poſſimus quaſi ex nobis: verùm gratia, ex paſſionis Chriſti Domini Saluatoris noſtri merito nobis communicata, admirabilem addit animis noſtris ſplendorem, remittit peccata omnia, addit vires & facilitatem operandi, dat virtutem operibus noſtris vt vitam æternam mereantur. Ad hunc modū ſpes noſtra erigetur, ſi opes omnes Chriſti Domini, eius omnia merita, omnia ieiunia, labores, pœnas, & quæcumque demum vel fecit, vel ſuſtinuit, cogitemus non aliter noſtra eſſe, quàm mariti bona etiam ad vxorem pertinent, qui-

bus ipsa ad debitorum suorum solutionem, aliasque necessitates, vti potest. O igitur Deus Pater cæli & terræ, da seriò perpendam passionem dilectissimi Filij tui, vt spe iam in me confirmata, numquam pusillanimis fiam, sed cogitem semper id quod in me, ex me fœtidum & turpe est, passione vnigeniti Filij tui purgandum quotidie. Dum stricti iudicij tremor mihi in mentem venit, recordor eumdem iudicem Saluatorem meum esse, & pro me mortuum, vt illius morte ego viuam. Non etiam me infirmitas pessumdet: nam dilecti Filij tui perfectio infinitas meas imperfectiones superat. Quandocumque autem tamquam sponsus gratiam suam mihi communicat, sublevat me tamquam sponsam in infirmitatibus meis. Hæc omnia, ô Pater benignissime, habeo ex meditatione passionis charissimi Filij tui. Da igitur nunc tam alta mentis contemplatione his immorari, vt semper, plenus solatio, ad meipsum redeam. Amen.

PARS TERTIA.

VErus etiam amor excitatur per passionē benedicti Filij tui. Quomodo enim non redamabimus, qui tanto amore præuenti sumus à nobilissimo & pulcherrimo amatore, cuius pulchritudine & scientia inflammati sumus, qui ex amore noluit moderari quod pateretur? Non equidem ore aut lingua nos dilexit, sed opere & veritate; dum patiens ac moriens pro nobis, omnia necessaria donauit: quæ attulit summo cum labore, dum propter me egenus factus est, vt ego ipsius opera diues efficerer; qui etiam omnem dolorem, miseriam & passiones in se recepit, vt me cunctis gratiis & beneficiis adimpleret. Sed heu quoties restiti ei, nolens obtemperare? auerti me ab ipso, & tamen non cessauit me amare; & pro omnibus his non aliud requirit, quàm vt redametur. Verùm hoc à tua paterna bonitate mihi expectandum. O igitur Pater amantissime, da assiduè in mente habeam, quē diligo; vt certior de amore factus, meipsum non decipiam. Imprimam illum, proprio ipsius exem-

plo, cordi meo, ſicuti ipſe me inſculpſit benedictis manibus ſuis: vt ſicut ille numquam prætermittet cicatrices vulnerum, ita numquam de corde meo exeat. Vbique memor ſim illius, vt de abundantia cordis loquatur os meum: & hoc eius exemplo, quo ipſe in cruce pendens tecum pro nobis locutus eſt, & ſeriò nos tibi commendauit. Nihil vſq. adeò deuitem, quàm prouocare iram eius, qui opera ſua eò direxit, & omnia tulit & fecit, vt me ad amorem ſui prouocaret. Vt igitur à peccatis deinceps abſtineam, reſigno me totum, nihil mihi in vllo negotio aſſumens, niſi pro eius ſanctiſſima voluntate; nil quærens, niſi honorem eius; ſicuti in cruce non ſibi, ſed mihi laborauit. Nam labores ſolus ſuſtinuit, & beneficia inde promanantia mihi contulit. Ad hunc modum ego deſidero agere, vt non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo laus ſit, honor & gloria. Da mihi quoque magno deſiderio ad eius ſuſpirare præſentiam, vt cum illo ſim, cui ſingulares fuerunt delitiæ eſſe mecum; qui in terra, mari, aëre, atque inferis nos quæ-

ſiuit, & iam inuentos ſibi aſſociauit in perpetuum, ad veram diuinitatem nobis communicandam. Ecce hæc operatur in nobis amara eius paſſio: numquid igitur in ea, ad omnia phantaſmata obliuioni tradenda, contemplationem meam ponam? Planè Domine. Eia ergo, Pater benigniſſime, trahe poſt te cor meum, & amore Chriſti abſorbeatur; ne aliud quàm charitatis ardorem, quo ipſe exarſit erga me, ſentiam; ne quidquam cogitem, loquar aut agam, niſi in charitate, quę in omnibus nos ita gubernet, ne vmquam vel latum vnguem ab amore tuo recedamus. Amen.

PARS QVARTA.

O Clementiſſime Pater, vt in meditatione paſſionis Dominicę deuotionem habeam, da illam cum ſumma admiratione expendam, qua eam plenam inuenio, ſi benè mecum conſiderem. Eſt ne admiratione dignum, quòd paſſus ſit ille, in cuius maieſtatem paſſio non cadit? qui eſt gloria & gaudium Sanctorum, cuius dignitas eſt infinita, vita eſt æterna, ſublimitas immenſa? & aſſumpſit talem paſſionem

ex mera charitate, pro nobis ſpurciſſimis hominibus, peccatoribus ingratis, inimicis, imò pro illis à quibus morte afficiebatur, & tali qualem nullus vmquam mortalium paſſus eſt, quidquid etiam attendamus, ſiue tormenta, ſiue ludibria, ſiue alias iniurias in præſenti vita illatas: & hac ſua paſſione totum genus humanum liberauit. Quod modo quodam admirabili expediuit: nam humanam fragilitatem cum diuina potentia cõiunxit, & ſic Principem huius ſæculi diabolum proſtrauit, ſummam iuſtitiam cum miſericordia coniunxit. Nobis enim exhibendo maximam miſericordiã in generis humani ſaluatione, paſſus eſt pro ſummo rigore diuinæ iuſtitiæ, quod Deus & homo ſolus pro nobis ſatisfacere poterat, factus eſt quaſi vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. (*Pſal.* 21.) Imò declarauit hîc ſummã ſapientiam, quæ mundo ſumma ſtultitia videtur. Verbum enim crucis (1. *Cor.* 1.) pereuntibus quidem ſtultitia eſt; iis autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. Et Paulus ibidem: Nos autem præ-

dica-

dicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Porrò magnam sapientiam ostendit, quando callidissimum hostem arte quadam patiendo vicit; iisdemque armis, quibus superior euasit, deiecit. Nam qui ligno vetito deceperat hominem, ipsum ligno sanctæ Crucis vicissim superauit. Imò tali supplicij genere nos liberauit, in quo & medicinam omnium nostrorũ morborum reponeret. Nam quamcumque patiamur infirmitatem in anima vel corpore, facillimè per crucem & passionem dilecti Filij tui curamus, vel ita vulnera alligamus, ne nobis exitium inferant. Præterea in passione sua proposuit nobis omnium virtutum exempla. Quam enim virtutem exercere possumus, cuius exemplum non relucet in passione & morte Saluatoris nostri? Est enim adinstar thesauri absconditi, in quo inuenire est omnes diuitias, lapides pretiosos, margaritas, & quidquid expetere ad animæ salutem possimus.

Per hunc thesaurū fecit in nobis accendi ignem diuini amoris. Nihil enim ita nos excitat ad imitationem dilecti Filij & charitatem diuinam amplectendam, quàm amara passio Iesu Christi Saluatoris nostri. Eia igitur, clementissime Pater, largire Spiritum sanctum, qui quouis tēpore in me operetur, auertat cor meum à peccatis & ab omni specie mala, liberet me ab omnibus occupationibus & solicitudinibus externis, vniat vires animę meę, introuertat sensus meos, & totum quod in me est, sibi obtemperare faciat, quò ipse pro arbitrio suo me fruatur, & aptū faciat, ad passionem dilecti Filij tui meditandum; quò cor & sensus mei per Spiritum sanctum vniantur, & tu in me, sicuti in Filio tuo dilecto, tibi complaceas, & fruaris te ipso in me, pro tua sanctissima volūtate, hîc in gratia, & posteà in gloria. Amen.

Tertia MEDITATIO, *de exitu* DOMINI *in hortum.*

PARS PRIMA.

O Deus benedicte Saluator noster, quàm obediens factus es Patri

vſque ad mortem, mortẽ autem crucis! Nam cùm ex obediẽtia eſſes homo factus, vt ſecundùm hominem ſolueres, quod nos debebamus, nõ quieuiſti antequam voluntatem Patris adimpleres: ad quod te trahebat immenſa charitas, qũam ab initio erga nos habuiſti. Quare ardenti deſiderio affectaſti hanc cœnam vltimam celebrare cum diſcipulis, dicens (*Luc.* 22.) Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Et (*Matth.* 12.) Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſq. dum perficiatur? In hunc enim finem homo factus fueras, vt calicem bibendo, nos tuo pretioſo ſanguine potares. Quare cùm ſemel decreuiſſes mori, morte tua omnes homines redimere volens, quò cunctis diebus vitæ, beneficij huius memores eſſemus, reliquiſti teipſum nobis tempore vltimæ cœnæ pro teſtamẽto in venerabili Sacramento; vt quotieſcumque hoc faciamus, id eſt offeramus, vel ipſum ſumamus, in nobis renouaremus charitatem immenſam, ex qua in Cruce pro nobis mori dignatus es: quo & nos ſemper paratos

exhiberemus ad idem præstandum pro te,quod tu pro nobis miserrimis peccatoribus inimicis fecisti. Verùm enimuerò si me non præordinasti vt cum gratiarum actione vicissim sanguinem meum pro te fundam, saltem omnes persecutiones, tentationes, dolores & iniurias mihi quouis modo inferendas accipiam de manu tua, libenter patiendo pro te ad aliqualem remunerationem præstandam pro ineffabili charitate mihi exhibita. Vt autem hoc commodiùs effectum curem, da mihi gratiam quàm sæpissimè te recipiendi in ter sancto ac tremendo Sacramento; quò indesinenter memor tui infiniti amoris, ego vicissim redamare non obliuiscar, sed meditatione passionis tuæ, omnes meos dolores & anxietates vincam. Imò sit mihi gaudium & solatium aliquid pati pro te, quò cogitem me necdum apud te in obliuionem venisse.Nam sicut tu ad patiendum homo factus es,ita & ego ad laborem & dolorem natus sum, vt ad patiendum semper præstò sim, quoad vixero, modò membrum tuum esse velim. Si enim

hîc

hic compatiar, & posteà conglorifica-
bor. Amen.

PARS SECVNDA.

O Dulcissime Domine, & Sponse misericordissime, recordare tristis ac miserabilis exitus tui, quo cum discipulis peracta vltima cœna ad mõtem Oliuarum iuisti. Nam quando tibi placuit, tua diuina potestate assumpsisti dolores, & tam vehementes, vt puro homini sustinere impossibile fuisset, & hoc solummodò propter me, vt videlicet, quantopere oderit Pater cęlestis peccatum, pro quo tu pati debuisti, ostenderes. O Domine, da mihi ad minimum hæc semper & vbique locorum expendere, vt pro his aliquo saltem modo gratus inueniar. At si volo singulariter gratus esse pro tua tam amara passione; est mihi necessaria cognitio & detestatio peccati, quod perfectè numquam cognouero, nisi per veram & exquisitam passionis tuæ meditationem. Debet enim esse detestabile & execrabile malum, propter quod Pater cælestis te suum vnicum atque dilectum Filium tantopere percussit. Vt igitur à

peccato præſeruer, da paſſionem tuam amaram, quocumque me recepero, in mente habeam: quidquid agam, ſiue comedam, ſiue bibam, ſiue vigilem, ſiue dormiam, numquam benedictæ paſſionis tuæ obliuiſcar, ſed ſemper cogitem, ac ſi tecum paterer; vt ſic omnes vanas paſſiones obliuioni tradam, quæ in me obſtaculum ponerent charitati, quæ te ad hanc amariſſimam paſſionem pertraxit, vt per hanc in amore tuo perſeuerem, & tuæ benedictæ paſſionis particeps fiam. Amen.

PARS TERTIA.

DIcebas ad diſcipulos tuos: Omnes in me ſcandalum patiemini iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. O Domine, quoties ego in te ſcandalizatus ſum, triſtitiâ & dolore me obruente? Ex charitate tribulationem & dolorem mihi immiſiſti, & hoc non aſſequebar. Ego ſignum iræ æſtimabam, & tu paternè me viſitabas. Ego me diſtractum arbitrabar, & tu me congregabas. Ego ſe-

cundùm ſenſum me derelictum putabam, & curam mei habebas. O Domine, quoties in te ſcãdalizatus ſum, cùm tuæ diuinæ prouidentię tam parum tribuerim? Eia Domine, ſentiam, quanto me, ab initio, amore proſecutus ſis, & in æternum proſequi velis; & ampliùs in te non ſcandalizabor, ſed in omnibus quomodocumque mecum egeris, contentus eró. Nos enim pars tui ſumus, cùm ſis caput omnium noſtrûm. Quomodo ſcandalizabor aliqua re, quæ mihi eueniat, cùm nihil mihi accidere poſſit, niſi per te, qui es caput, cum quo omnia membra concordare habent? Verùm, amantiſſime Pater, membro fragiliori aliquantulùm indulgendum. Intuere igitur infirmitatem meam, & conforta me, vt te in omnibus ſequar. Reſpice meam intolerabilem inſipientiam, & da gratiam diſcernendi omnia quæ mihi eueniant, ne vmquam tentationes pro tua diuina inſpiratione acceptem. Nam ex hoc ſupra modum deciperer, mihiq́ue ipſi ſcandalum mouerem. O igitur Domine, aſta mihi, & cuſtodi me, vt tecum in

tentationibus permaneam, nec aliud ſolatium quàm teipſum quæram, quò ſemper tecum ſim & maneam in perpetuum. Amen.

PARS QVARTA.

DIcebas Domine diſcipulis, quòd ſicut oues gregis eſſent diſpergendi. Heu quoties ſenſus mei diſperguntur, huc illucque me diſcurrente, ac neſciente vbi meipſum tandem inuenire debeam. Eia mellitiſſime ſponſe, qui diſcipulis tuis promiſiſti quòd te poſt reſurrectionem tuam viderent, manifeſta etiam teipſum mihi, quò poſt omnes tentationes tibi repræſentatus, iterùm cõfortari & ſolatium percipere merear. Non ſinas me ire poſt concupiſcentias meas, ac ſi ſenſu communi carerem, nec præualeant aduerſum me phantaſmata, in varia ſenſus diſtrahentia: ſed ſecundùm rationis iudicium vitam meam inſtituam, quò ad te reſpiciens, veſtigiis tuis ſemper inhæream. Et ſi præuideris in me, ſicuti in diſcipulis, diſtractionem, non ſit mihi in damnationem: verùm poſt diſperſionem me recollige, & poſt paſſionem

ſola-

ſolatium infunde,& omne amarum fac dulce; vt poſt tentationem, rerum viciſſitudinem inueniam, atque te de præterita & obliuioni tradita miſeria laudem atque glorificem, ſicuti poſt hanc vitam futurum ſperamus. Quod ſolummodò peto, vt ibi tecum ſim, vbi omnem lacrymam ab oculis meis abſtergas, & non ſit vltrà neque mors, neque clamor, ſed tu verus Agnus, qui in medio throni es, regas nos, & ducas ad vitæ fontes aquarum: in te eſt omne refrigerium & confortatio, tu gaudium & ſolatium animæ & corporis. Hoc vnum oro chariſſime ſponſe, vt ſic perpetuò in Galilęa, hoc eſt poſt hanc vitã, te iterùm videam, & gaudeat cor meum, & gaudium meum nemo à me tollat. Amen.

Quarta MEDITATIO, *quòd* DOMINVS *appropinquauit loco orationis in horto.*

PARS PRIMA.

O Domine, conferens cum diſcipulis tuis de paſſione, veniſti ad villam quæ dicitur Gethzema-

mani;vbi erat hortus, in quem introisti cum discipulis, non vt te abſconderes, ſed vt à diſcipulo traditore inuenireris. Sciebat enim (*Luc.* 18.) locũ, quòd frequenter conuenires illuc cum diſcipulis tuis. Eia Domine largire gratiam, ne pati ſubterfugiam; ſed cum patientia cuncta de manu tua accipiam, ſicuti tu libenter admodum, & parato animo paſſionem tuam pro nobis aſſumpſiſti. Sed heu ego ſubterfugio labores quoad poſſum, quia ſenſuũ appetitui ſatiſfacere nequeo: video quod diſplicet, & emendare non valeo: & ſi pro arbitrio corrigere poſſem, forſitan criſtas erigerem, & volens omnia fieri ex animi ſententia, putarem me aliquid eſſe. Et quid eſt quod ego pati ſubterfugio, cùm tu tam parato animo paſſionem pro me aggreſſus es, recipiens te ad locum vbi ab hoſte inueniri volebas? Eia Domine, ſum tam æger & infirmus, quòd paſſioni obuiàm procedere nequeam; da ſaltem à te immiſſam patiẽti animo accipiam, & perferam ex charitate, diligendo illum qui mihi tribulationem & dolorẽ infert, vt ipſe etiam

edo-

edoctus patientia mea, tandem ad meliorem frugem sese recipiat; quò posteaquam alter alterum satis superque exercuerimus, tandem ad vnum omnes saluemur, Amen.

PARS SECVNDA.

POsteà dixisti discipulis tuis: (*Matthæi 26.*) Sedete hîc donec vadam illuc & orem. Eia Domine, tribue mihi indies sedere, quò in vera pace spiritus, omnem aduersitatem transire sinam, & quàm diligentissimè ad influxum tuæ diuinæ gratię recipiendum me pręparem, Infunde mihi orationem tibi gratam, qua muniar, ne vlla tentatione vincar, sed per triumphū victoriæ omnes inimicos meos despiciam, Imò, si sedendo me quieti dem, fiam sedatus, & cum intellectu omnia discernam, nec subitò excandescam, si quid cōtrarium mihi eueniat; & ex corde hoc acceptem, quo meipsum pariter & proximum pacatum reddam. Nullus equidem tam perfectus, quin facilè aliquid in medium adferat, quod alium quempiam perturbet. Quidquid igitur alteri alicui quandoq; improuidè facio, hoc liben-

ter ac prouidè ab alio perferam. Verùm ad hoc mihi oratio necessaria. Nam spiritus maligni circumeunt nos homines, & ad omne malum prouocant: quibus si resistere velimus, gratia tua opus habemus. Moueas igitur spiritum, & regas intellectum, vt passim, quidquid etiam mihi eueniat, mentem meam in te eleuatam habeam; quò tu stes pro me, & pugnes contra omnes hostes, visibiles & inuisibiles, saluti animæ meæ insidiantes: atque ita sit oratio mentis meæ refugium in omnibus, vt semper pacatus & tranquillus tuo diuino nitar auxilio. Amen.

PARS TERTIA.

ET assumpsisti Petrum & Iacobum & Ioannem tamquam primarios discipulos, quos voluisti experiri tristitiam & miseriam, sicuti antè in monte Thabor gloriam tuæ diuinæ maiestatis gustauerant. Ita enim solebas agere cum amicis tuis intimis, vt in omnibus exercitati, modò in dulcedine charitatis, modò cum patientiæ amaritudine vestigia tua sequantur. O Domine fac me hoc ex toto corde meditari, vt in omni-

bus tecum sim, vbicumq. te inueniam, siue in monte Thabor, siue in horto. Scio enim, quòd & mihi erit, sicut & tibi, si membrum tuum esse velim. Iucundum autem est mihi esse tecum in monte Thabor, hoc est, quando te in anima mea præsentem inuenio, vbi trãsfiguratus es præsente Moyse & Elia, hoc est carne & spiritu, carne quasi mortua cum Moyse, & spiritu tamquam viuente cum Elia; vbi tecum est intellectus meus in Petro, memoria mea in Iacobo, & voluntas mea in Ioanne significata; quòd si ita dominaris mihi, optimè mecum erit. Verùm sicuti hoc iucundum, ita & meritorium mihi erit, si tecum in horto inueniar, hoc est si tecum persecutionem patiar, propter te odio habear, vel alio quouis modo in nomine tuo patiar, affligar, aut turber. Accipiam Domine vtrumque hoc beneficium de manu tua, & cogitem quòd semper sit voluntas tua, quomodocumque mecum agatur. Verùm ô Domine, posteaquam natura mea debilis est & trepida, vt pati exhorrescat, adiuua me, & consolare me in omni difficultate, ne vmquam

quam in foueam desperationis incidam; sed in te semper confidam, tam in tribulatione maxima, quàm in summa quiete, & gaudio spiritus perfectissimo. Amen.

PARS QVARTA.

ET cœpisti contristari & mœstus esse, dicens: Tristis est anima mea vsque ad mortem. O Domine, quis in se potest sentire, quanta hîc te inuaserit tristitia & miseria? Primus dolor fuit ex formidine grauissimarum pœnarum, & mortis turpissimæ imminentis; sed terror fuit maior ex eo quòd hominem peccatorem repræsentares, pro quo pati veneras, vt ego huius tuæ maximæ tristitiæ causa fuerim. Secundus dolor fuit tædium, quo te tædebat omnium rerum in hac vita, cùm videres te planè desertum, nō ab hominibus solùm omnibus, sed à Patre quoque cælesti; qui in nullo auxilium præstabat, quin tua humanitas sola omnia perferre deberet. Quod mihi magnum solatium adfert, quando me quasi derelictum reputo. Tertius dolor tuus fuit tristitia ob peccata grauia, quibus Iudęi in tua nece se-

ſe obſtringerent, ac etiam propter exiguum numerum eorum qui huius tuæ tãtæ paſſionis eſſent participes, cùm eſſent qui ſe indignos tua gratia facerent. Quartus dolor fuit grauis animi anxietas, dum videres nullum tibi eſſe effugij locum, dum hîc vrgeret iuſtitia Patris, illic ſummus amor humani generis excitaret, contrà verò reformidaret natura, vt meritò anima tua triſtaretur vſque ad mortem. Largire nunc ô Domine per hanc tuam intolerabilem triſtitiam, vt omnes meos dolores & anxietates ſuperem. Ego ſum creatura fragilis, impatiens dolorum, & pœnas infinitas commerui. Eia igitur Domine, ſit omnis hæc tua afflictio & triſtitia pro peccatis meis: & ſicut peccata mea ſunt cauſa tuæ paſſionis, ita paſſio tua me mundet & muniat contra omnia peccata; vt ego memor harum tuarum anguſtiarum, omnem difficultatẽ tentationum & dolorum obliuioni tradam. Amen.

Quinta MEDITATIO, *de oratione* DOMINI *in horto.*

PARS PRIMA.

O Domine, benedictus ſis tu in æternum, qui flexis genibus proſtratus in terram, procidiſti in faciem, petens vt ſi poſſibile foret, à te tranſiret hora iſta, dicens: Abba Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. O Domine, in quantum me dilexiſti, qui in mea perſona flexiſti genua, & quaſi mortis reus, propter peccata mea varia procidiſti in terram, ad offerendum te ipſum pro ſalute noſtra; & ſimul exhibuiſti, qui nos repræſentabas, abiectum & vile genus hominum, qui indigni ſumus cælum oculis intueri, ſed magis ab hominibus conculcari: atque in hunc modum tu iam oppreſſus præ peccatorum pondere, proſtratus es in terram. Ais ergo, Abba Pater: quaſi diceres, Ego ſum Filius, qui patiar pro fœtidiſſimis peccatoribus, Iudæis & Gentibus; parces ne Fi-

lio

lio tuo vnigenito? Si fieri poteſt, ſcilicet ſalua tua diuina iuſtitia, tranſeat calix à me: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. O Domine, quanta in te pugna fuit, cùm caro ſibi relicta ita abhorruit humanitus paſſionem, verum hominem demonſtrans. At nolens te neque in dexteram neque ſiniſtram inflectere, paternę te realiter ſubdidiſti voluntati, dicens: Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. atque hac prolatione verborum ſpiritus palmam obtinuit. In hunc modum, ô Domine, commendo tibi omnem meam difficultatem: ſi placet, aufer à me; verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu vis. aſta mihi, da gratiam portandi crucem meam ad gloriam nominis tui ſummam, & animæ meæ ſalutem, & fiat voluntas tua beneplacens & perfecta. Amen.

PARS SECVNDA.

HVius pugnæ triumpho iam celebrato ſurrexiſti, & ad diſcipulos, quos orandi cauſa reliqueras, rediiſti. Non te ita abſorbere potuit tua paſſio, vt diſcipulorum obliuione tenereris,

quin ſurrexeris ab alta contemplatione, & diſcipulis aliquid ſolatij impartieris. Ad hunc modum, Domine, in dextera Dei ſedens noli obliuiſci miſeriæ ac triſtitiæ meę, vide quàm miſer & deſolatus quandoque ſum, ac ſi in obliuione eſſem apud te, & ad orationem meam non reſpiceres. Noli mihi ô miſericors Domine eſſe formidini: ſed ſicuti in propria afflictione, mœrẽtium diſcipulorum recordatus es; ita iam in gloria Patris ad dexteram conſtitutus, noli obliuiſci mei, ſed adeſto mihi, ne ſine tuo ſolatio inueniar. Nam ſine tuo auxilio in tribulationibus meis perſeuerare nequeo. Verùm enimuerò inueniebas diſcipulos tuos dormientes, & dicebas Petro: Simon dormis? ac deinde ad alios: Non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tẽtationem. O quantopere hoc opus habeo! Nam multi ſunt hoſtes viſibiles & inuiſibiles qui me aſſiduè perſequuntur, & contra hos omnes oratio mihi neceſſaria: quia ſine te nihil poſſum. Sed ſingulariter contra diaboli inſidias oratione opus habemus, ne ille

præ-

prȩualeat aduerſum nos, néve in deſperationem nos adigat. Sed præter orationem, cõtra carnem etiam vigilare oportet, quò vires eius tempeſtiuè infringamus, ne tandem criſtas erigens nobis dominetur. Eia igitur, Domine, da gnauiter ſemper tecum vigilem, & fer opem ne vmquam obdormiam. Sed ſi omnia mea ſomnum quandoque capiant, ſemper tamen mens mea & intellectus tecum vigilent. Amen.

PARS TERTIA.

POſteaquam iam, amantiſſime Domine, diſcipulos tuos hac admonitione & exemplo inſtruxiſſes, iterùm ad orationis locum rediiſti, dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me; verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Et quamuis hîc non videaris exaudiri, tamen ex æquo cum Patre tuo cæleſti conueniſti, ei omnia tua commendans. Ad hunc modum piiſſime Domine largire gratiam, ne tibi vmquam in oratione modum præſcribam, ſed per omnia me reſignem, ſicuti tu te Patri tuo cæleſti reſignaſti: & cùm orandum mihi fuerit, da diligenter expendam,

quid orem,& orem cum ſumma humilitate, ſed tandem totum me tuæ diuinę prouidentiæ committam. Quamtumuis honeſtum, vtile, aut neceſſarium ſecundùm hominē precatus fuero, numquam tamen negligam voluntatem meam tuæ ſanctiſſimæ voluntati conformare, dicendo: Fiat voluntas tua. Hac oratione peracta, rurſus ad diſcipulos rediens, inueniſti eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, vt ignoraſent quid reſponderent tibi. cogitabāt enim: Iam antè inuenit nos dormientes, & redarguit nos, quid iam in excuſationem prætendere poterimus? Ita ô Domine ſępiſſimè mecum agitur: ego vno die, imò vna hora frequenter te ad iram prouoco dormiendo, dum meiipſius oblitus inuehor in proximum, vt poſteà ad me rediens, non habeam quid dicam, niſi quòd mea ſit culpa. Eia Domine agnoſcam hoc, ne vmquam infirmitatem meam excuſatam habeam. Sed non iam reprehendiſti eos, vti ſuprà, tamquam ad ſuſcipiendam correctionem inhabiles. Da etiam mihi Domine, vt proximū meum

in infirmitate supportem,&singulariter meipsum;ne si quando lapsus fuero, incõsolabiliter meipsum prosternam, sed omnem spem meam in te collocem, vt si cecidero, resurgam. Non enim vis mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Cùm igitur citra tuam gratiam (quæ tamen nemini petenti negatur) emendationem inuenire nequeam, concede, vt proiiciam me in te, & faciam quod in me est, donec tempus adueniat quo me oculis tuæ misericordiæ cum Maria Magdalena respicias. Hoc oro Domine manè & vesperi, & orabo sine intermissione quoad viuam; nihil dubitans de tua diuina bonitate, quin, si in hac vita consequi dignus non fuero, saltem in hora mortis mihi quod peto dederis: & hoc fiat, ne in perpetuum à te separari contingat. Amen.

PARS QVARTA.

POst hæc ad orationem rediens, dixisti: Pater mi, si non potest calix transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. & hoc verbo totum te resignasti, & simul mente attraxisti totum benedictæ passionis tuæ cursum, sicuti

posteà pro me pati dignatus es. Et apparuit tibi Angelus de cælo confortans te (*Luc.* 22.) ne ab inchoatæ redemptionis nostræ opere nobilissimo desisteres, nisi consummares illud. Hoc autem factum est non impellente aliqua necessitate, quippe cùm alacri animo, & voluntariè planè hoc perageres: sed propter nos hoc fieri voluit Pater cælestis, ne in nostris pœnis desperemus, verùm Angelorum solatium nobis semper adesse speremus. Cùm autem perseuerares in oratione, & instantem passionem, quò diutiùs, eò acriùs in te traheres, factus es quasi in agonia, & sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentes in terram. Accede nunc, ô anima mea, & quale hîc coram te positum compassionis incentiuum, attentissimè considera. Redemptorem tuum, Regem cælorum orantem, pauentem, agonizantem, sanguinem sudantem, mentis oculo contemplare; non tamen sine profluuio lacrymarũ. Quomodo enim, ô anima, lacrymas continere valebis, aspiciens piissimi Domini sponsi tui guttas sanguinis decurrentes in terram?

Cerne

Cerne diligenter Iesum totius suauitatis fontem, pallentem facie, genibus flexum, trementem corpore, corde verò mœrore trāsfixum, vultu rubicundum sudore sanguineo, & iuxtà Angelum eumdem confortantem: compati, gemere, flere, vlulare ne cesses. O Domine, quanta lateat in corde tuo tristitia, ex vultus madefactione cognoscitur; quā intolerabilis fuerit passio, ex sudoris qualitate colligere est, cùm non aquam, sed sanguinem sudasti. Porrò, si ex sola passionis consideratione tua pænè defecit vita, quid in ipso crucis fuit supplicio? Si in certaminis tui principio tantopere præualuit mœror; alapæ, conuitia, flagella, acetum, fel, arundo, sputa, claui, quid doloris non attulerunt? O Domine, per hanc diram passionem adesse dignare mihi in omni necessitate, tentatione, & tribulatione, & non sinas me ab oratione sine tuo solatio vmquam recedere; sed trahe me in te, vt semper tibi conformari merear, nunc in passione, & posteà in gloria. Amen.

FERIA TERTIA.

Prima MEDITATIO, *quomodo* DOMINVS *hoſtibus appropinquantibus obuiàm proceſſerit.*

PARS PRIMA.



ENEDICTVS & laudabilis es Domine in ſæcula, qui tam parato animo, ac voluntariè teipſum propter nos in manus hoſtium tradidiſti. Nam poſtquam tertiò oraſſes Patrem, ex animi magnitudine, ex reiectione pauoris ſurrexiſti iam ab oratione, & veniens ad diſcipulos, inueniſti eos dormientes, & dixiſti: Dormite iam, & requieſcite: ſufficit. Ecce venit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum: ſurgite, eamus. ecce appropinquat qui me tradet. Tibi Domine nihil eſt abſconditum, qui omnia noſti, antequam fiant. Quare hæc diſcipulis prædixiſti? vt ſe ad inſtãtem paſſionem preparent. Hinc dicebas: Dormite iam, & requieſcite: hoc eſt, conuertimini ad

vos

vos ipſos,diſcite primùm ſuperare proprios defectus, quàm ad aliorum infirmitates perferendas exeatis. Intrate vos ipſos & præparate animos veſtros, vt fortes efficiamini, ad hoſtes debellandos, & prudentes ad pericula euadenda. His omnibus,ô Domine, ego indigeo. Da ergo gratiam, vt quotidie meipſum ingrediar, & ſim magis paratus ad propria quàm aliorum vitia caſtiganda. Numquam prodeam in publicum,niſi cor & ſenſus pacatos habeam ad omnes huius ſæculi perturbationes, tentationes & tribulationes imperterrita patientia perferendas, paratus etiam ad tolerandum patienter omnia, quæ mihi euenire poſſint. Amen.

PARS SECVNDA.

TE adhuc loquente verba hæc,Domine, ecce Iudas vnus de duodecim, & cum eo turba multa, à Pontificibus & Phariſæis miſſi, venerunt illuc cum lanternis, facibus & armis. Et Iudas dedit eis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero,ipſe eſt,tenete eum, & ducite cautè.. Et confeſtim te accedens,ait: Aue Rabbi.& tu conuer-

ſus ad eum, dicebas: Amice, ad quid veniſti? ille propiùs accedens, te vitæ Auctorem ad mortem oſculatus eſt: & dicebas ei: O Iuda, oſculo Filium hominis tradis? Hac voce percuſſus traditor, parumper receſſit, quatenus armatis militibus circumuentionis locum daret. Tu verò horum nihil veritus, tamquam bellator robuſtiſſimus, & Chriſtianæ militiæ inſuperabilis dux, iis qui te detinere veniebant procedens obuiàm, dixiſti: Quem quæritis? Et illi reſponderunt: Ieſum Nazarenum. Quibus dixiſti: Ego ſum. Vt ergo dixiſti; Ego ſum; abierunt retrorſum & ceciderũt in terram. Fulgorem ſiquidem æternæ claritatis ſuſtinere non valentes, à tuo lumine repercuſſi, & diuinæ vocis tonitruo territi, retrorſum ceciderunt more impiorum. Tunc ſi voluiſſes, occultare te potuiſſes, & manus eorum euadere: imò adinſtar Eliæ potuiſſes mãdare, vt ignis deſcendiſſet de cęlo, qui eos deuoraſſet, ſicut Elias Quinquagenarium cum ſuis quinquaginta occidit. Sed non veneras occidere, verùm ſaluare; nolebas poteſtate pugnare, ſed humilitate vincere,

atque

atque fortitudinis tolerantiâ superare. Eia Domine, da vt ego hæc omnia traham ad meipsum, quò ab operibus tuis & passione exemplum sumam. Traditus es à proprio discipulo, cui multam gratiam præstiteras, & patienter tulisti. Ne igitur ego respiciam ad vllum hominem, qui me iniuria afficiat, verùm cogitem, quòd quo mihi propinquior fuerit, & plura à me perceperit beneficia, eò passio mea perfectior & tuæ passioni conformior fuerit. Da ergo, vt tuo exemplo edoctus benè afficiar erga inimicos, & magis ipsis qui se pessimè habent, quàm mihi ipsi compatiar; vt aliquando ad meliorem mentem redeuntes, culpam suam agnoscant. Verùm sicuti hosti obuiàm processisti, vt patientia & humilitate eum vinceres; ita & ego gaudium existimem, si quando patientiâ aliquid sufferre habeam, & me omnium minimum reputem. Nam tuo exemplo disco perfectionem in eo positam esse, vt, si quis hostem habeat in manu sua, parcat ipsi, imò etiam obsequium humanitatis illi præstet. Hæc tu Dominus meus & Deus meus egisti,

quando aurem à Petro abſciſſam Malco reſtituiſti,& attactu ſanaſti.

PARS. TERTIA.

PRoſtratos iam diuina potentia hoſtes ſurgere feciſti, vt libera, ſi vellent credere, eſſet eorum confeſſio. quibus denuò dixiſti: Quem quæritis? Et illi dixerunt: Ieſum Nazarenum. Miſeri illi homines iam ad cor rediiſſent per hoc miraculum,& credentes cum Paulo dixiſſent: Domine, quid me vis facere? Sed vocem tuam non audierũt, quia non erant de ouibus tuis. Erant lupi rapaces, & ſitiebant ſanguinem agni innocentis. Sitiebant quidem, ſed non niſi permiſſi bibere valebãt. Expectabant à te licentiam, vt raperent, crucifigerent, occiderent, & biberent. Quia autem hæc omnia pati veneras, audierunt: Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. O Domine, quàm promptus & paratus, præſcius omnium, teipſum pro nobis in mortem tradidiſti. Inimici tui erant planè excæcati;& tu ex obedientia Patris, in omni contumelia, tormentis, & pœnis perferendis, illis es obſecutus: ſed diſcipulis

peper-

pepercisti. Te quidem obtulisti, verùm illos illæsos abire fecisti. Noueras quippe ad tolerandas passiones, ipsos adhuc minùs esse idoneos. Distulisti ad tempus, quoadusq. habiles fierent: quemadmodum nutrix circa infantis curam materno vigilat affectu, donec educatus validior fiat. tunc & ipsa, quem priùs fouebat gremio, exercet laboribus, & ad mundi perferenda mala non parcit. Hinc dicebas: Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Eia Domine, da mihi, vt tibi in omnibus obediam: nec respiciam ad proximos, qui me per iniuriam contristant; sed ad tuam immensam charitatem, ex qua tribulationem mihi immisisti: sic gratiam tuam in me agnoscam præ omnibus excæcatis, qui tibi in mea vocatione quotidie contradicunt; ac illis magis compatiar, quàm meipsum contristem. Verùm sicuti pepercisti discipulis, tamquam adhuc ad passionem imparatis: ita benignus intuere meam infirmitatem; & supple tua diuina gratia, quod in me desideratur. Amen.

PARS QVARTA.

DIcebas: Si me quæritis, ſinite hos abire. O Domine, quantam erga nos oſtendiſti charitatem, quando ſolus pati, & nullum hominem tua de cauſa affligi voluiſti, qui paſſione tua temporali nos ab æterna liberare decreuiſti; non quòd nos ſine tribulatione & dolore huius præſentis vitæ pelagus enauigaremus, ſed exemplum nobis dediſti, vt ſequamur veſtigia tua; verùm ſuo tempore. Vnde colligimus tuam diuinam omnipotentiam cum prouidentia coniunctam, qui pro tuo beneplacito nos à tribulatione malorum & dolorum præſeruas, & quando placuerit, nobis immittis; ſed tunc, quando pro tui nominis gloria nobis ſaluberrimum duxeris. Hinc diſcipulis, adhuc pauidis & infirmis, tamquam pueris pepercisti, vſque dum per Spiritum ſanctum confortati, ad decertandum impauidi eſſent. Tunc enim ad omnem perſecutionem paratos exercuiſti. Qui enim antè te negauerunt, & ex hoſtium manibus reſilierunt, pòſt gauiſi ſunt, quòd pro nomine tuo con-

tumeliam pati digni inuenirentur. Ad hunc modum etiam mecum age clementiſſime Pater, reſpice infirmitatem meam, & habe mecum patientiam, ne vmquam aduerſitatibus frangar. Intuere fragilitatis meæ conditionem, & viſita me in tempore opportuno, quo præſentia ſancti Spiritus ſatis fortem, & ad pugnandum intrepidum me cognoueris; tunc crux & dolor me inueniat, vt glorioſum & ſanctum nomen tuum per me ſemper prędicetur, tam in infirmitate, dum mihi parcis, quàm in fortitudine, dum tua diuina gratia patientiam & robur experior, ac fortis in bello inuenior. Sic tamquam cum prole tua age mecum miſericordiſſime Pater, vt tecum ſim & maneam in perpetuum. Amen.

Secunda MEDITATIO, *de* DOMINI *captiuitate.*

PARS PRIMA.

CVm iam dixiſſes Domine: Si ergo me quæritis, ſinite hos abire: manus tibi iniecerunt, & addu-

adduxerunt ad Annam primùm, qui erat ſocer Caiphæ, Pontificis anni illius,& morabatur in via. At quãta cum difficultate, labore, & dolore hoc peractum eſt? Inuaſerunt te tamquam lupi rapaces (iam enim poteſtatem in te acceperant,cùm diceres: Hæc eſt hora veſtra,& poteſtas tenebrarum.) & partim te crinibus apprehenderunt,partim verò barba benedicta traxerunt, & tamquam bouem te humi proſtrauerunt: reſtibus te conſtrinxerunt,& tenerrima membra tua quàm crudeliſſimè colligarunt, vt pretioſus ſanguis ex vnguibus ſacris erumperet; & ſic pertraxerunt te, alius huc, alius illuc, vt humanitus neſcires, quem ſequi deberes, dum ſæpiùs in terram proſterneteris. Poſteà feſtinanter cucurrerunt, & percutientes te afflixerunt: clamoribus variis præ gaudio vociferati ſunt, non ſecùs, quàm ſi feram intercepiſſent, aut prædam attuliſſent; imò tam dirè tractarunt te, ac ſi nõ Filius Dei,ſed mortalium omnium ſceleratiſſimus fuiſſes. Eia Domine, imprime hæc ita cordi meo, vt quotidie in omni aduerſitate

mei

mea horum recorder, cogitans me hæc omnia promeruisse, cùm tamen nihil simile. mihi inferatur. Sit igitur hæc tua miseria mihi doctrina, qua humilitatem mihi familiarem faciam, ad abnegandum meipsum in omnibus, quò me dignum iniuria æstimem, vndecumque etiam mihi adueniat.

PARS SECVNDA.

O Domine Iesu Christe, ductus iam ad Annam summum sacerdotem, non composuisti argumenta, non aspera locutus es, non protulisti blanda, vt iudicãtis flecteres animum; sed quod prudentiæ erat, quod virtutis, quod gloriæ. De discipulis enim & doctrina interroganti, non respondisti ad discipulos; ne malum de ipsis diceres, cùm bonum dicendum non haberes. Sed ad doctrinam prudenter admodum respondisti, dicens: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim

ego. O quàm bonam causam agebas Domine, quando etiam hostes tuos adhibuisti, vt doctrinæ tuæ ferrent testimonium. Ambages profectò non quæris, sed omnibus cupis innotescere. Da mihi ô Domine hoc tuum exemplum imitari: quò caueam mihi ab omni detractione; & respiciens ad meipsum, pro ratione meæ fragilitatis, cum proximi infirmitate condescendam. Si quid de me dicatur, quo famæ detrahi posset, da mihi patientiam. Sed si defensioni locus datur, respondeam tam humiliter pro mea excusatione, vt etiam ab hostibus meis veritatem audire non subterfugiam. Amen.

PARS TERTIA.

CVm tam humiliter hostes in testes vocares, & præter veritatem nihil affectares, vnus ministrorum dedit tibi alapam, dicens: Sic respondes Pontifici? Hic fuit vnus ministrorum Pontificis, qui missi vt caperent te in sermone & apprehenderent (*Ioan.* 7.) Sed reuersi & interrogati quare te non adduxissent, respõderunt: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Propter quod,

odium

odium dominorum suorũ incurrerunt. Verùm vnus illorum videns iam totum mundum tibi aduersari, in feliciorem (vt putabat) sese inclinauit parietem, & vt in domini sui gratiam rediret, alapam tibi infregit, dicens: Sic respondes Pontifici? ac si malè locutus fuisses. O quanta hæc erat percussio, quæ facta est armata manu, qua reuersus ab itinere captiuitatis tuæ percussit te tam acriter, vt cum terræ motu te prosterneret, & pretiosus sanguis ex ore & naribus proflueret. Sed propter me, Dñe, hanc alapam pertulisti, vt semel corporaliter perferres, quod toties in spiritu à nobis pateris. Quotiescumque enim murmuro contra tuam diuinam iustitiam, aliud volens quàm tu, hanc alapam tibi impingo. Eia, Domine, per hãc diram alapam remitte mihi omnia peccata, quæcumque humana fragilitate commisi.

PARS QVARTA.

SEd respondebas: Si malè dixi, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis? O piissime Domine, quoniam in virtutis ostensione singulorum profectum quærebas, ala-

pam

pam hanc voluntariè suscipere non expauisti, neque declinasti cùm potuisses, sed spontè ferienti genas exposuisti. Verùm non alteram præbuisti maxillam secundùm doctrinam antè datam, & hoc ad instructioné nostram. Aliam vtique maxillam, si voluisses, potuisses præbere; sed maluisti respondendo insinuare mysterium, quàm faciem exhibendo demonstrare virtutem.. Volebas enim hac tua sapientia nos docere, ne vlli mortalium peccandi occasionem daremus. Verùm si quis nos vlteriùs percutere velit, alteram potiùs præberemus maxillam, quàm de proximo vindictam sumi peteremus. Vtrumque tamen sapientissimè egisti, nunc quidem mysterium sapientię, posteà autem documentum præbendo patientiæ. Poteras ne offerre genas, qui totum corpus posteà exposuisti? Omnino. Largire igitur mihi donum sapientiæ & scientiæ, vt sciam quando & vbi mihi loquendum, & silendum; an patientia necessaria, vel excusatio aliquàndo prætendenda; vt in omnibus me tibi conformem, & in nullo resistam. Amen.

Tertia MEDITATIO, *de passione* DOMINI *in domo Caiphæ.*

PARS PRIMA.

HIs iam peractis, misit te Annas vesperi serò ligatum ad Caipham, qui erat Pontifex anni illius. Hîc de nouo tecum festinanter currunt, huc illucque trahentes. Omnem tibi mouerunt difficultatem, non obstante eo, quòd tam miserabiliter in domo Annæ tractatus esses. Et hęc non erant admiranda. Nam plenariam iam nacti erant in te potestatem, quò pro peccatis nostris patereris & satisfaceres, cùm nostra sint peccata, quæ per malignos Iudæos hanc tibi miseriam intulerunt. Illi gaudebant, quòd per contumeliam tibi illatam impiis sacerdotibus placerent; vbi tu supra modum contristatus, nullum tibi propitium haberes. Eia Domine, concipiam ex hoc animum, quò in omni tribulatione mea solatium inueniam; singulariter, quando meipsum ita desolatum inuenio, vt nec in cælo, nec in terra refrigerij se-

dem

dem reperiam. Da, tunc contra ſpem in ſpem cum Abraham credam, non dubitans, quin tandem hiſce dederis finem, hîc, aut in futuro: ſicuti tu aliud ſolatium non habuiſti, quàm ſpem reſurrectionis, qua fruſtrari non potuiſti.

PARS SECVNDA.

CVm ad Caipham Pontificem adductus eſſes, ſummi Sacerdotes, & omne concilium quærebant aduerſum te teſtimonium, vt te morti traderent. Falſidicorum vtique petebant ſuffragium, vt ad mortem damnarent vitam, ne ipſi viuerent in æternum. Viciſſim cõtendebant, vt candorem æternæ lucis ſuis obnubilarent tenebris. Fiebat autem, vt quò ſolicitiùs inueſtigarent, eò in depreſſioribus ipſi tenebris remanerent, perſeuerante in ſuo ſplendore te Veritate incommutabili. Tandem cùm plurimas finxiſſent oppoſitiones, venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Quoniam nos audiuimus eum dicentem; Poſſum deſtruere hoc templum manufactum, & in triduo aliud non manufactum reædificare. quod in medium attulerunt, ac ſi contra

tra templum locutus fuisses; cùm non de templo exteriore siue materiali, sed de templo corporis tui, quod in cruce dissolutum, tertio die per resurrectionem reparasti, locutus esses. Vnde Scriptura addit: Et non erat conueniens testimonium illorum: vt facilè intelligamus, quàm malitiosè te obruere conati sint, vbi ex animi amaritudine non considerarēt quomodo tecum agerent, modò te morti traderent; quod dolores tuos non parum auxit. Nam quò irrationabiliùs quis obruitur vi publica, & iniuria manifesta, omni destitutus auxilio, eo maiori dolore affligitur. Da ergo Domine gratiam, ne attendam vnde dolor & afflictio mihi proueniat, aut quæ miseria me inuadat, sed in omni tribulatione & dolore ad te respiciam, qui vis quandoque me tam irrationabiliter obrui, vt patientiam meam probatam reddas. Amen.

PARS TERTIA.

CVm autem ad hæc non responderes, surgens in medium summus sacerdos, interrogauit te, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi

obiiciuntur ab his? Et hoc dixit, vt te ad loquendum prouocaret, & ex ore tuo aliquid audirent, quò te morti traderent. Verùm tacuisti, & non respondisti vllum verbum. In tacentis quippe lingua nil reperitur indignum. Rursum summus sacerdos interrogauit te, dicens: Tu es Christus Filius Dei benedictus? Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Hæc malignus homo solummodò interrogauit, vt ex ore tuo te iudicaret. Sed tu summa Veritas, vt nos tuo exemplo informares, ad hęc silere nolens, dicebas: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli, Quibus verbis ineffabilem declarasti claritatem, quam in die Ascensionis tuæ nactus es, & in nouissimo die toti mundo aperies. Prioris etiam posteà admonuit eos sanctus Stephanus, cùm diceret: Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei. De secundo paulò antè locutus fueras discipulis, vt Pontifex ille meritò ad ista verba expauesceret.

Sed

Sed totus excæcatus, ſcidit veſtimenta ſua, dicens (nam eius dominatio ſecundùm vetus Teſtamentum iam finem habebat) Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus? Ecce iam audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? Qui omnes condemnabãt te reum eſſe mortis: ex quo ſtatim te Pontio Pilato Præſidi tradidiſſent, niſi intempeſta nox fuiſſet. Viri ergo illi, qui te huc illucque traxerant, iam defatigati dederunt ſe quieti, & noui recenteſque in eorum locum ſucceſſerunt. Quanta autem illa nocte perpeſſus es, nulla lingua eloqui poterit. Viri enim illi, qui tenebant te, illudebant tibi, & expuebant in faciem tuam, & colaphis te cædebant, & palmas in faciem tuam dabant. Imò cùm inter has contumelias amicabilem vultum tuum perferre non poſſent, velarunt faciem tuam, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? & alia multa in te blaſphemantes dicebant. O Domine, quàm duri fuerunt tibi aduerſarij! quomodo te afflixerunt! Fuêre quippe ex ipſis, qui calcibus te Dominum meum peſſumdãtes, ſcapu-
 las,

las, os, omne corpus liuoribus complêuerunt. Inter ipsos ille beatior, illeque præstantior habebatur, qui in contumeliis irrogandis, infligendisque verberibus crudelior inueniebatur. Flete nunc oculi mei, & flumina emittite lacrymarum in hoc tam crudeli horrendoque spectaculo. Maxima namque & inaudita coram vobis plorandi est oblata materia, si tamen quæ geruntur peruigili consideratione aspicitis. Poterit ne quis se continere, cùm Regem gloriæ, vitæ auctorem, Dominum Maiestatis, atque hominum redemptorem viderit conspui, facie velari, alapis cædi à gehennæ filiis, à peccatoribus alapis verberari, ab elatis irrideri, iniuriari ab inimicis, atque à corde pollutis multipliciter blasphemari? Lugete quantum potestis, numquam sufficietis vel minimam partem iniuriarum lacrymis assequi. Plus enim quàm triennio sitierant, quod illis nunc permittebatur implere.

PARS QVARTA.

MAnè autem facto, ô Domine, consilium inierunt omnes prin-

cipes ſacerdotum & ſeniores populi, v te morti traderent, & duxerunt in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. & dicebas: Si vobis dixero, non credetis: ſi autem & interrogauero vos, non reſpondebitis mihi, ne dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? & dicebas: Vos dicitis. O Domine, quàm fortiter omnia tibi illata pertuliſti, quantopere teipſum abnegaſti propter nos, vt nos abnegantes nos ipſos, tuo exemplo peccati occaſionem deuitaremus. Tu omnia tibi euentura præſciuiſti, ac proinde nihil incaſſum perferre voluiſti. Iam enim tempus aduenerat ſecundùm propoſitum diuinæ voluntatis, vt pati & mori te oporteret pro nobis omnibus, & non dimittereris. Sed quod gloriam Patris cæleſtis concernebat, reticere nequiuiſti. Quare dum omnes ſimul interrogarent, dicentes: Tu ergo es Filius Dei? reſpondiſti: Vos dicitis. Et ex hoc ipſo te morti tradere decreuerunt, cùm dicerent: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi

enim audiuimus de ore eius. Hinc surgens omnis multitudo eorum duxerunt te vinctum à Caipha in prætorium, & tradiderunt te Pontio Pilato Præsidi. Eia Domine, da mihi nunc in omnibus tuo exemplo habere patientiam, vt in omnibus meis difficultatibus ad Patrem cælestem respiciam, & cuncta de manu eius accipiam, quęcumque etiam mihi eueniant, quò in omni aduersitate semper pacatus & tranquillus inueniar. Amen.

Quarta MEDITATIO, *de falsis accusatoribus coram Pilato.*

PARS PRIMA.

SVrgens omnis multitudo eorum, duxerunt te vinctum à Caipha in prætorium, & tradiderunt te Pontio Pilato Præsidi. O quanta proteruia traxerunt te per viam tota iam nocte defatigatum, quàm hilares fuerunt, quantum tumultum & strepitum fecerunt? Iam namque se rerum potitos putabant, cùm accepissent potestatem tradendi te Præsidi; iam te morti destina-

tum, imò iam quaſi ſententiam pronuntiatam arbitrabantur. Erat autem manè cùm traderent te Pilato, & ex hypocriſi nolebant ingredi prætorium, ne contaminarentur, ſed Paſcha manducarent. Exiit ergo Pilatus foras ad eos, & dixit: Quam accuſationem adfertis aduerſus hunc hominem? Reſponderunt: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. O hypocriſis magna, quæ non erubuit ſanctitatem veram ſub vmbra ſanctitatis tam impiè morti tradere! Pilatus audiens tam indignam reſponſionem, dixit: Accipite ergo eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum. quaſi dicat: Quid ad me tam inſana reſponſio? Tunc cœperunt accuſare te ſummi ſacerdotes in multis, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Quæ tria tam impiè ſunt excogitata, quàm falsò tibi impoſita. Non enim tu Verbum Dei in carne veneras, vt à via veritatis homines ſubuerteres, ſed vt ſubuerſos ad vitam reuocares. Quod prouidens Propheta,

in ſpiritu exultans ait: Deo noſtro ſit iucunda decoraque laudatio. Ædificans Ieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit. Sicut & Caiphas (*Ioan.* 11.) ignoranter prophetauerat, dicens: Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quòd autem prohibuiſſes cenſum dare Cæſari, falſiſſimum eſt. Tu namque (*Matth.* 17.) mandaſti Petro, vt pro ſe & te tributum daret. & aliàs dixiſti: Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Vnde mentita eſt Iudæorum iniquitas ſibi, aduerſus veritatem teſtificantium iniqua. Oberrauerunt Pontifices à vero intentione nocendi, opponentes mendacia veritati, nedum in ſoluendo tributum, verùm etiam in regia poteſtate, quam te ambire dicebant. Numquam enim in corde te extuliſti, nec inanibus verbis hominum fauorem captaſti, ſed docebas humilitatem; ſæculi pompam, operibus & ſermone inſinuabas populis eſſe fugiẽdam. Cùm enim turbæ vellent te conſtituere regem, aufugiens latuiſti. In cunctis igitur elucet conſpicuè ſacer-

dotes

dotes contra te esse mentitos. Tu igitur ô Domine tam falsò accusatus es, & tulisti patienter: cur nos excandescere volumus, si per iniustitiam famæ nostræ detrahatur? Eia, Domine, da mihi tuo exemplo veram humilitatem, qua cuncta libenter perferam propter nomen tuum, qui tanta patientia pro me hæc perferre dignatus es.

PARS SECVNDA.

Pilatus hisce auditis in prætorium ingressus est, & vocans te, dixit: Tu es rex Iudæorum? & respondebas, dicens: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? quasi diceres: Rem acu tetigisti, & beatus qui de me cognitionem habet. Pilatus autem singulariter hanc mouit quæstionem, ceteris omissis: hæc enim ipsum concernebat. Ne igitur perderet, aut tibi aut alicui alteri communicaret, quo solus gaudere cupiebat, quærit an sis Rex, cogitans hoc non esse pro se, qui tamquam Præses hîc à Romano imperio constitutus erat. Nam cùm carnalis esset, non nisi carnalia sapiebat. Vnde reiecta grauitate, prorumpens in vocẽ, aiebat: Num-

quid ego Iudęus sum? Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti? Insipientiam paucis verbis magnã ostendit. Non enim propter astantium notam, neque ob pręfectoriam dignitatem, animi sui immoderatũ compescuit motum. Eia Domine, si te intrinsecus solatio destitutum, etiam extrinsecus ita obruerunt, & patienter tulisti; quid me volo affligere, si interiùs passionibus ingruentibus, exteriùs perturbor? Da quæso gratiam, vt in omni tribulatione mea, ad tuam passionem respiciens solatium merear. Amen.

PARS TERTIA.

NE autem almæ sapientiæ tuæ regnum carnaliter cogitetur, humiliter respondisti: Regnum meum non est de hoc mundo. Si enim ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Tu quidem es æterna Sapientia regnans in hoc mundo, sed regnum non habes ab hoc mundo. Regnum enim huius mundi finem habet, sed numquam erit finis regni tui; quod

tunc

tunc primùm in oculis nostris perfectum erit, quando hic mundus finem habuerit. Si regnum tuum esset de hoc mundo, ministri tui vtique pro te pugnarent, ne Iudæis votraderéris. sed iam regnum tuum non est hinc, verùm de cælis. Da ô Domine hoc intelligam, ne vllam mundi gloriam, aut carnis delitias quæram, sed solùm virtuti intendam, cogitans me tunc regnare, quando in humilitate, patientia, mansuetudine, & ceteris virtutibus me exercuero. Verùm non sinas me incidere in desperationis foueam, si quando hæc mihi ex animi sententia non succedant, sed habeam tecum patientiam, & sperem me hoc consecuturum, si non hodie, saltem cras, vel quando tibi placuerit: interim ad omne opus bonum suspirem. dicit Pilatus: Ergo Rex es tu? citra intellectum hîc distinctionem fecit. Verùm respondere non es dedignatus, dicens: Tu dicis quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui ex veritate est, audit vocem meam. Da

ô Domine,vt hoc in me ſentiam ,vt vocem tuam audiens, me ex veritate eſſe declarem. Largire quoque gratiam, vt ſemper vbicumque fuero, ſiue benè ſiue malè mihi ſit, tamquam filius veritatis tibi auſcultem, paratus potiùs tecum quæuis tormenta ferre, quàm cum mundo quibuſvis delitiis affluam; & tūc Rex ero tecum, vel te Rege exiſtente ego Regina ero, atque ita in veritate vnum erimus, ſi ego in veritate ſtetero, & te ipſam veritatem quæſiero. Amen.

PARS QVARTA.

DIcebat ad te Pilatus: Quid ergo eſt veritas? Ecce quomodo veritatis inimicus cum Veritate loqui permittitur. Verùm cùm ſit alienus à veritate, non niſi ad tempus claritatem tuam intueri meretur. Cùm enim percunctatus fuiſſet: Quid eſt veritas? ilicò exiit, vim claritatis tuæ ferre non valens. Vnde cùm hoc dixiſſet, iterùm exiuit ad Iudæos, & dixit eis: Ego non inuenio in eo cauſam. Abhorrebat falſitatis fieri teſtis, qui multa fuerat cum ipſa Veritate locutus. Participauerat vtcumq; de lumine Veritatis (quamuis

non

non ad vitam) quamdiu præsentem habuit Veritatem. sicut quis pertractando aromata, odorem de vestimento effundit & manibus; ita etiam infidelis hic, atq; indignus. studuit namque te Veritatem commendare, non pertinentibus ad illam, & quem traxerat odorem exhibuit; sed quoniã eumdem minimè habebat in se, vsq. ad penetralia Iudæorũ nequiuit immittere. Vnde obstinatissimo animo, cordis sensibus obduratis te Veritatem accusarunt. Sed cùm accusareris à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondisti. Pilatus autem rursus interrogabat te: Non respondes quidquam? Vide quanta aduersum te dicunt testimonia! nõ audis? Et non respondisti ei vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. Et meritò. Omnia enim æquo animo perferebas, vt nostram salutem operareris. Da igitur mihi Domine, vt in omnibus habeam patientiam, quò vestigia tua sequi valeam, & pro omnibus beneficiis me gratum exhibeam. Da vt in omnibus virtutibus diues sim & perfectus, vt eas non solùm exteriùs declarem, ve-

rùm etiam interiùs in me ſentiam, quo eas quando tibi placuerit, in proximis meis etiam operer. Verùm enimuerò, ſi vis vt dolores in bonum accipiam, da vt ad te reſpiciam, ad paſſiones & miſerias meas in patientia per tuam paſſionẽ ſuperandas. At illi inualeſcebant, dicentes: Commouit populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. O benigniſſime Domine, quàm duri fuerunt tibi aduerſarij, vi & iniuria te obruẽtes! Commoueres aut turbares tu aliquem, qui omnibus in terris pacẽ dare veneras? Certè ſumma cum manſuetudine hoc pertuliſti. Nam cùm pro voluntate Patris tui cęleſtis ad hæc perferenda in terram veniſſes, non curaſti iniuriam vndecumque illatam: adeò vt ſumma cum patientia trãſieris, dum omnia opera tua bona in peſſimã partem interpretata pro malitia & nequitia homines acciperent. Eia Dñe da gratiam, vt ad tuum exemplum ſemper reſignatus ſtem ſubter te; atq. tale ſolatium experiar, dum homines opera mea bona in malam partem accipiunt, ac ſi propter te crucẽ portare haberem. Amẽ.

Quin-

Quinta MEDITATIO, *de passione, quam* DOMINVS *in domo Herodis sustinuit.*

PARS PRIMA.

PIlatus audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esses. Vt autem cognouit, quòd de Herodis potestate esses, misit te ad ipsum, qui etiam Ierosolymis erat illis diebus. O Domine, quomodo huc illucq. tractus es & defatigatus citra causam! Deduxerunt te ab vno ad alterum, ac si tanta fuissent facinora tua, vt ab vno sententia pronuntiari non potuisset. Et huius occasioně dederunt peccata mea, quæ tot & tanta erant, vt in multis diuersis locis pro iis supplicium pati deberes. Peccata enim mea te huc illucq. pertraxerunt, atque in tantum te grauarunt, vt ab vno ad alterum deduceceris. Eia Domine, largire & mihi patientiam, quando huc illucque discurro, & nihil perficio; & sit tibi voluntas mea pro facto, vt mea vestigia frustranea per hunc tuum miserabilem in-

cessum mihi compenses, atque perficias. Amen.

PARS SECVNDA.

HErodes autem, te viso, valdè gauisus est. Erat enim cupiens ex multo tempore videre te, eò quòd multa audierat de te, & sperabat signum aliquod à te fieri. Verùm quod infidelis Rex curiosè quærebat, obtinere non meruit. Non enim volebas margaritas spargere ante porcos, cùm scires, vbi sapientia tua locum haberet. Etenim non sincero affectu, sed curiosa sensualitate ducebatur. Gaudebat quidem tuo aspectu, sed ex nouitate quadam, & rerum nouarum appetitu. Si generosa ductus fuisset virtute, tamquam vir sapiens tibi obuiàm processisset, cum Regina Saba, quæ à longè venit videre & audire prudentiam Salomonis. Sed quàm parum doluit de adulterio & latrocinio, quo internecioni tradidit tuum S. Baptistam, tam paruo erga te Deum ac Dominum meum ducebatur affectu. Qualem ergo ipsum inuenisti, talem te ei declarasti. Tu enim sciebas quid esset in homine, nec opus habebas de quo-

piam

piam interrogare. Da ô Domine, vt in omnibus virtutibus ac bonis operibus cor habeam sincerum, vt ex totis viribus vestigiis tuis insistam, nec expectem donec tu ad me venias, sed cum alacritate surgam, & summo conamine ad te curram, vt gratiam apud te inueniam.

PARS TERTIA.

HErodes interrogabat te multis sermonibus, an videlicet esses Ioannes Baptista, quem ipse in carcere decollari iusserat: an esses ille propter quē pater infantes circa Bethlehem à bimatu & infra occidi mandauerat; & multa alia: sed responsum ei non dedisti. Stultæ enim & risu dignæ interrogationes responsum non merentur. Da & mihi ô Domine hanc prudentiam, vt tempore & loco sileam, & loquar. Loquar autem tantùm, vbi elogium tuum diuinum pias atque attentas aures inuenit; & silentio inuoluam, quod non ædificat: ne verbis meis maleuolum quempiam ad malum prouocem, aut alto silentio piis scandalum moueam. Quare hîc, ô æterna Patris sapientia,

ipſemet loquere per me, & ſilentium ſerua in me, ſecundùm tuam ſanctiſſimam voluntatem; vt tu mecum,& ego tecum ſim in perpetuum. Stabant autem Principes & Scribæ conſtanter accuſantes te. Timebant enim, ne Herodes te tamquam inſanum & miſerum hominẽ dimitteret,cùm viderent quòd te tam ſimplicem præberes, & ad omnem eius interrogationem ſileres. Sed quòd hi te tam conſtanter accuſarent, & ab Herode tamquam inſanus habereris, patienter admodum tuliſti. Eia Domine largire mihi hanc gratiam, vt omnia patienter feram, vndecumque etiam mihi obueniant;ſiue verbis malitioſis falsò accuſer, ſiue ab hominibus contemnar, ſiue pro puero vel minimo habear, ſemper ſub tua profundiſſima humilitate latẽs,æquo animo accipiam. Si enim meipſum ita perdidero inter homines,certus ero, quòd & in te meipſum perpetuò inueniam. Amen.

PARS QVARTA.

VErùm Herodes videns quòd nihil proficeret, ſpreuit te cum exercitu ſuo, & illuſum veſte alba remiſit

ad

ad Pilatum. Multam tibi intulit iniuriam, ignorans qua contumelia te afficeret, iuxta morem aulicorum malè disciplinatorum, qui sibi relicti quiduis attentare audent. Illusit autem te, & veste alba indutum remisit ad Pilatum. O quàm difficilem & miserabilem hîc ingressus es viam! Vestis fuit alba, & à longè conspicua, vt quisquiliæ & fæx nebulonum accurrerent, & omni te opprobrio exciperent, cùm tamquam insanum te riderent atque obruerent. Præterea fuit valdè longa, vt progrediendo, & eam calcaueris, & sæpiùs in terram corrueris; quod ipsis mouit risum, & tibi dolores attulit: atque ita ludibrio, contumeliis & iniuriis afficientes, Pontio Pilato Præsidi te restituerũt. Quæ omnia patientissimè propter me pertulisti. Ego has contumelias & opprobria merueram, & tu Filius Dei viui ea perpessus es. Eia Domine, si pro gratiarum actione hęc ipsa perferre nequiuero, da, vt ad minimum cum lacrymis expendens gratus inueniar. Da, in me sentiam, quòd nullo honore dignus sim; vt cum patientia de manu tua acci-

piam,

piam, si quando neglectui aut contemptui habeat, & maximè salutare reputem si tecum opprobriis aut contumeliis satiet.

Sed facti sunt amici Herodes & Pilatus ipsa die, qui anteà inimici erant ad inuicem. O Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Tibi infertur ignominia & iniuria, sed pacem & vnitatem refundis. Numquid malum pro malo reddidisti? Nequaquam. Sed bona pro malo, vt legem charitatis perfectè adimpleres. Da mihi Domine hoc tuum exemplum imitari, vt Filius inueniar Patris cælestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos; & æqui bonique consulam si quid à malignis mihi inferatur, & precer illis saltem quæque felicissima pro malo mihi allato, si opera ipsa in bonum conuertere nequeam. Largire Domine, vt in omnibus tecum vnum sim, quò non frustrà pro me passus sis, sed in omnibus passionis tuæ documentum habeam, vt intelligam, quomodo nunc in doloribus & miseriis me gerere debeam. Amen.

FERIA QVARTA.

MEDITATIO *prima, de doloribus & tormentis quæ* DOMINVS *noster in Pilati domo pertulit.*

PARS PRIMA.



BI iam Pilatus te Dominum ac Saluatorem meum recepisset in prætorio, conuocatis principibus sacerdotum & magistratu & plebe, ait illis: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum: & ecce coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis; sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. O miranda res! alienigenarum Principes innocétiæ tuę defensores erant; & Hebræi ipsi, de quibus secundùm carnem natus es, morti te tradere satagebant. Verùm longè antè prædixeras, quòd inimici hominis domestici eius. Si tu ergo Dominus

meus & Deus meus ita odio habitus es à populo tuo, quorſum ego indignè feram, ſi à proprio ſanguine perſecutionem patiar? Sed reſpice ô Domine infirmitatem meam, & tuo exemplo me conforta, vt in iniuria quam proximi mihi inferunt, ſolatium habeam per hanc tibi illatam; ſuper omnia gratias agens, quòd me tuis doloribus & miſeriis conformas: atque ita omnia, quæ à fratribus, ſororibus, aut amicis inferuntur, de manu tua accipiam, cogitans quòd ſic oporteat me crucem tuam portare, & Patri tuo cæleſti gratum obſequium ſeruitutis præſtare.

Sedente autem Pilato pro tribunali miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi. multa enim paſſa ſum hodie propter illum. Quod à bono Angelo proficiſci potuit, vt memor eſſet Pilatus, ne rei tam iniquę ſeſe immiſceret; ſed naturaliter per iſtam admonitionem confortatus, falſum iudicium declinaret. Verùm quàm chari nos & ſalus noſtra tibi erat, tam obſtinati facti ſunt hoſtes tui in malitia ſua, vt nec rationi, nec intellectui, nec naturæ, nec

ſancti

ſancti Angeli admonitioni locum darent. Operetur quæſo Domine fortiùs in me tua diuina gratia, vt dum ego in naturali ratione, Angelica admonitione promoueor, totis viribus ſequar; & tuam bonam, beneplacentem, atque perfectam voluntatem adimpleam, ac tibi in perpetuum placeam. Amen.

PARS SECVNDA.

NEceſſe autem habebat, & conſueuerat Pilatus populo dimittere per diem feſtum & ſollemnem, vnum ex vinctis quem volebant. Habebat autem tunc vinctum Barabbam, inſignem latronem, qui cum ſeditioſis erat vinctus, & in ſeditione fecerat homicidium in ciuitate. Et turba exclamauit, & cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Eſt conſuetudo veſtra, vt vnum dimittā vobis in Paſcha. Quem vultis ergo dimittam vobis, Barabbam, an Regem Iudæorum qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent te ſummi ſacerdotes. O Domine, quomodo tractant te peccatores, & hoc in ſummo totius

anni festo, videlicet in festo Paschæ, in quo omnibus modis teipsum pro nobis obtulisti? Tu eras ipsorum captiuus pro nobis, vt nos vinculis peccatorum constricti, liberaremur. Populus rogabat pro vno vincto dimittendo: verùm tu, qui pro nobis esse sacrificium decreueras, liberari planè nolebas. Quid igitur? Pilatus qui pro humana fragilitate te absoluere quærebat, ne quem offenderet, te tamquam captiuum populo exhibuit, & vt omnino te eximeret, adiunxit tibi insignem latronem, conferendo falsitatem veritati, vitam latroni, pacem homini seditioso. Mira comparatio, vbi Deus homini, iustitia iniquitati confertur. Quid tibi Domine cum tenebris, qui es lux vera? Quid tibi Saluatori cum homicida? Quomodo maior tibi potuit inferri iniuria, quàm quòd cum tanto latrone conferreris. Quid te reddidit tam contemptibilem? Peccata mea, pro quibus in te susceptis, quasi in mea persona pœnas dare veneras. Da ergo mihi misericordissime Domine, gratiam patienter ferendi si quando contemnar aut parui fiam, cùm

mihi tanta ignominia, quanta tibi irrogata eſt, inferri nequeat, & ego peccatis meis ignominiam tibi illatam promeruerim. Patienter igitur feram, ſi quando cum homine paupere & abiecto numeratus fuero. Non equidem tanto peccatori comparari queo (ſileo hominem abiectū, ſimplicem & pium) quin ipſe in aliquo virtutum aut honeſtatis genere me vincere poſſit.

PARS TERTIA.

SEd Principes, qui ſecundùm legem in multis veritatem agnòſcebant, ne virtus præualeret, turbam concitabant, & perſuadebant populo, vt peterent Barabbam, & te Dominum meum perderent. Reſpondens autem Præſes, ait illis: Quem vultis de duobus dimittam? Exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. O quàm deploranda res, quòd tu Deus cæli & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium hîc ignoreris! Non fuit magnum, quòd Pilatus alienigena, à teſtamento æterno extraneus, te Chriſtum æternum Regem neſciebat, cùm Hebræorum Pon-

tifices, quibus in diuinis locis de te erat vaticinatum, ignorantiam tui prætenderent. Te infantem panniculis inuolutum, & in præsepio recubantem, nouerant Herodi indicare, scriptum esse dicentes: Ex te exiet Dux qui regat populum meum Israel: & nunc iam adultum, miracula facientem, virtutum magnalia operantem, dæmonibus imperantem, regnum Dei prædicantem, negare te non formidant. Hic est cursus huius mundi. Quamdiu enim quis in silentio agit, & nulla singulari actione sese aperit, toleratur facilè, Sed si in veritate sese exercet, vitia reprehendēdo, ac virtutes exercendo, à multis contemnitur, quantumcumque etiam boni faciat. Da ô Domine gratiam, vt hæc ipsa corde expendam, ac semper tecum sim contentus, siue honore siue contumelia afficiar, siue charus siue despectus habear, Tu enim solus causam omnium nosti, cùm nihil sub cælo frustrà fiat. Si igitur tuæ diuinæ voluntati me conformauero, tunc in omnibus ego, quod tu quæris, & à nobis postulas, inueniam; videlicet tuum imperium,

glo-

gloriam & honorem in perpetuum. Amen.

PARS QVARTA.

ITerùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens te dimittere: Quid faciam de Iesu Rege Iudæorum? At illi omnes iterùm clamauerunt: Crucifige, crucifige eum. O amantissime Domine, in quantum te grauarunt mea crimina? Tam molesta tibi fuerũt, vt etiam te vitã ipsam morti tradiderint. Quid enim aliud prætendebat iste clamor Iudæorum dicentium, Crucifige, quàm accusationem qua coram Patre cælesti diuina iustitia me peccati accusabat? Pilatus quidem animaduertebat tuam innocentiam, quòd sine peccato esses tu in cuius ore dolus inuentus non fuerat: sed peccata mea tam dura tibi fuerunt, vt misericordiam ad me liberandum superexaltauerit iudicium. Ad hunc modum clementissime Deus, da gratiam, qua mihi ipsi durus, misericors sim proximis, semper magis ad misericordiam quàm ad iustitiam inclinatus. Imò cùm obruor ab vllo mortalium, sicuti hîc te maligni Iudæi oppresse-

runt, magis ad te, & ad occulta tua iudicia, quæ mihi in bonum cooperari possunt, respiciam, quàm ad hominem; & si amici mei & proximi, qui mihi auxiliari satagunt, nihil proficiunt, habeam patientiam, & expectem auxilium in tempore opportuno, quò magis in perpetuum post hanc vitam, quàm inpræsentiarum solatium inueniam.

Pilatus autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam caussam mortis inuenio in eo. Pilatus non vi, sed honesta ratione adamantina corda Iudæorum mouere volebat. Cogitabat namque, si te, à quo tanta beneficia perceperunt, tantopere calumniantur, quid in me facerent, si quid contrarium iustitiæ reperirent? Agam quod volũt, iustitiæ censura postposita. Quomodo, ô Domine, peccata mea excæcarunt Pilatum, ne mortem euaderes? Loquebatur quidem pro te, dum iniuriam & vim patereris: sed ex humana fragilitate, te ipsa iustitia relicta, iniquitatem sectatus est. Interim adhuc medium te liberandi quærebat, dicens se curaturum vt castigareris, ac adeò turpis ac

fœti-

fœtidus appareres, quò ex compassione adhuc viuum te dimitterent. Sed quid dicis Pilate? Vísne vim inferre iusto? vísne castigare sanctum ac innocentem, quẽ ex inuidia tibi traditum nosti? Cessa quæso talia cogitare, sileo quòd loquaris. Nam si vel minimum quid attentaueris contra iustum, non conquiesces. Tentator enim non cessabit, nisi totum adimpleueris. Ita, Domine, reuerà actum est. Nam contineri non poterant, quin clamarent, & magnis vocibus instarent, vt crucifigereris, & inualescebant voces eorum. O Iesu bone, quanto oneri tibi fuerunt peccata mea! imò tam acerba, vt nulla fuerit gratia ad te in pœna subleuãdum. Non est profectò mirum, quòd peccata propria sępè me tantopere grauẽt, quòd hîc & alibi frequenter minutissima quęque mihi dolorem adferant, cùm peccata aliena, videlicet totius humani generis, cum quibus partem non habebas, in tantum te obruerint, vt in nullo gratiam inuenire potueris. Ego si quid patiar, hoc promerui omnibus modis, sed tu nihil mali feceras. Eia igitur Domi-

ne, da mihi patientiam in omni tribulatione mea, vt & ego cum gaudio crucem meam portem. Amen.

Secunda MEDITATIO, *de flagellatione* DOMINI.

PARS PRIMA.

O Amantiſſime Domine, Pilatus iam oblitus iuſtitiæ, animæque cura neglecta, apprehendit te, & flagellandum tradidit. O nunc anima mea, vt ſcias quanti te æſtimauerit Chriſtus ſponſus tuus, vt compaſſione patiaris cum illo, atque amori ipſius, vices rependere poſſis, in ſpiritu intra in prætorium Pilati, ac diligentiſſimè conſidera quid tuus propter te in eo ſuſtinuerit Deus: lacrymas habeto paratas, cordis gemitum tene, vt cùm lamentationes, carmen, & væ in libro vitæ repereris ſcripta, teipſum ad lamentum prouoces. Quis ô Domine à fletu continere ſe poteſt, cùm te Dei Filium, vt ibi duriſſimè flagelleris, in prætorium mente conſpexerit introduci? Da mihi Domine ita ex corde hæc meditari,

tari, ac si præsens cum lacrymis conspexissem. Da mihi ita inpræsentiarum lacrymari, ac si in persona hæc pertulissem: quod mihi impossibile fuisset, quia vel in deliquium animæ, vel periculum mortis incidissem. Meritò ad hæc considerandа laborare debebam. Nam ego hæc promerueram, & tu pro me pertulisti. Præsta igitur Domine, vt in anima mea hoc sentiam, quod tunc in te fuit, quando cum tanta ignominia introductus es ad hæc perferenda; vt cùm aliud facere nequeam, saltem in anima sentiam, quod tu in corpore pro me perpessus es. Amen.

PARS SECVNDA.

ACcedunt ministri crudelitatis, quatenus detractis vestibus te nudum exhibeant. Porrò tamquam agnus coram tondente se, non aperuisti os, conuitia patienter audis, tranquillo animo te expoliari permittis. Tanta siquidem mansuetudinis es vsus modestia, vt fortè de astantibus quosdam incitares ad lacrymas. Verùm ô Domine, quanta tibi fuit afflictio hæc denudatio? qui eras verecundus præ omnibus

filiis hominum, vt quod indecorum est, nullum vmquam hominum tãtum læſerit quantum te, qui omnium maximè inordinata odiſti, vt hæc denudatio tibi maximam attulerit triſtitiam. Et quamuis peccatum pudorem generauerit, & tu peccatum non haberes; tamen peccata noſtra, quæ in te ſuſcepiſti, tibi hunc dolorem, quem ſuper nos induxerant, attulerunt, eo ſolo excepto pudore qui peccatum coniunctum habebat. Verùm, ô Domine, cùm pudor mihi ſit vtilis (licet ex peccato eum habeam) da ſemper ſentiam honeſtam verecundiam, qua ſanctè & honeſtè in hoc mundo ſemper agam, & timeam nè quid indecorum manifeſtè coram hominibus, aut in ſecreto coram te & Angelis tuis attentem; ſed ita viuam in præſenti ſæculo, ne in futuro me confuſum inueniam.

Poſt hæc Domine alligarunt te columnæ, & diris reſtibus tenerrima mẽbra tua conſtrinxerunt, tanta cum crudelitate, vt pretioſus ſanguis etiam ex ſacris vnguibus tuis erumperet. Et hæc omnia quàm patientiſſimè toleraſti.

Tener-

Tenerrimum corpus tuum in tempore exposuisti, vt nobis parceres in perpetuum. Diris restibus & funiculis constringi voluisti, vt nos à vinculis peccatorum eximeres. Eia Domine, per hæc dira tua ligacula libera me à vinculis imperfectionis meæ, quibus ligatus sum intus & foris. Intus ligatus sum, dum ex re minima turbor, & nec iræ nec concupiscentiæ resisto, sed affligo meipsum supra modum, nullo ad rationem aut intellectum habito respectu. Foris verò constringor, dum quidquid video, audio, olfacio, gusto, vel attingo, traho ad meipsum, vt re admodum parua interueniente à meliori bono me abstrahi sinam. Ab his vinculis libera me Domine, & columnæ tuæ diuinæ gratiæ me alliga, vt à peccatis liber ad omne opus bonum me expeditum inueniam. Amen.

PARS TERTIA.

FEcerunt flagella rotata, quæ prima facie adinstar acus erant, & totum benedictum corpus tuum dilaniarunt, ac vulneribus infinitis sulcarunt. Cuius iam tam ferreum pectus, quod non

emolliat tanti Redemptoris benignitas? Ligaris, cæderis, atque flagris corpore dissiparis. Nunc ſcapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura cingunt, vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt. Hinc liuor tumens, inde ſanguis erumpens, omnem corporis decorem immutat; adeò vt membrorum compages viſibiles fierẽt. Prophetæ vaticinium tũc completum fuit, dicentis (*Iſa.cap.*53.) Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eũ: deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Eia Domine, da mihi hæc ex intimo cordis meditari, vt horum dolorum tuorum conſideratione ego quotidie per pœnitentiam quaſi di-

luam,

luam, quod variis multisq. modis peccaui. Intuear tuum benedictum ac miserabile corpus tot innumeris vulneribus dilaniatum, quando in mentem venit pulchritudo corporis mei, aut propriæ naturæ complacentia, atq. ita sensus meos supprimam, ne vlla alia re quàm tua profundissima humilitate, ac passionis, quam pro me tolerasti, acerbitate occupatus inueniar; quò tandem in te transformatus, nihil aliud in me sentiam, quàm in te erat, cùm tam dirè flagellis cæderceris.

PARS QVARTA.

VBi iam Domine infinitis vulneribus totum benedictum corpus tuum delaceratum esset, vestimenta resumere compelleris. Secessisti igitur solus, & doloris nimietate debilitatus, sine alicuius adminiculo induis te. Hoc vnico exemplo, potentium superborumq. superfluos damnas famulatus. Tu enim Dominus Maiestatis nō habuisti adiutorem saltem vel minimum, qui in tanta necessitatis vehementia, suffragij manum tibi apponeret. Da igitur mihi ô Dñe, vt semper in omni patientia, quo-

modocumq. etiam mecum agatur, sim contentus. Sum autem derelictus, vt nullum auxilium aut solatium habeam; in hoc sit meum subleuamen, quòd ad te respiciam, qui in extrema necessitate solatium vel auxilium non inuenisti. Nos volumus summo honore affici, vbi nil præter confusionē promeruimus: & tu Dominus meus, & Deus meus, qui omni gloria & honore dignus es, neminem ad tuum ministerium paratum inuenisti. Et quomodo hæc possunt simul subsistere? Tu passus es pro nobis, ab omnibus derelictus; nos ergo in deliciis viuentes pro vno famulo tres in subsidium nostrum assumemus? Eia Domine, age mecum pro tuo beneplacito. Magna siquidem mihi fiet gratia, si in patientia tecum quasi desolatus tristitiam & dolorem inueniam. Tunc enim sperabó, quòd tecum aliquando solatium percepero, quando absterges lacrymas ab oculis meis, & luctus aut dolor non fuerit vltrà. Hæc sit spes mea, & solatium meum; & erit tandem, vt ab omni dolore & labore liberer. Amen.

Tertia MEDITATIO, *de Coronatione* DOMINI.

PARS PRIMA.

MIlites te iam veſtibus reſumptis ducunt in atrium prætorij, & congregantes vniuerſam cohortem, rurſum exuerunt te, renouantes infinita iſta vulnera tua, quibus veſtimenta inhærebant, vt totum benedictum corpus tuum eſſet doloribus plenum, tamquam vlcus præmaturum. Hoc factum profectò homini pio lacrymas excuſſiſſet, hic tuus dolor hominis ſenſati cor penetraſſet. Verùm illi ex maleuolentia & tyrannide hoſce tuos dolores in riſum & cachinnum conuerterunt, vt tota tua natura afflicta tremeret & paueret. Quis mortalium Domine hæc pertuliſſet? Addiderunt ne tibi dolorem ſuper dolorem? Eia da mihi gratiam, qua omnem iniuriam & afflictionem, vndecumq. mihi proueniat, ſine tædio perferam. Contriſtor ſæpè vna re? exprobratur mihi ſæpè mea magna imperfectio? incido fre-

quenter præter meam voluntatem in idem vitiũ? obruor sæpè ab vno homine (quisquis ille fuerit) propter meam vocationem? respiciam ad hanc tuam sanctissimam passionem, & in hoc me consoler, quòd tu sæpiùs in vno vulnere læsus sis, & posteà toties sint innouata omnia. Ego miser sum tam fragilis, vt ad minimam iniuriam perturber; & tibi Domine non vnum, sed multa mala inferuntur; & necdum finis est, quin ipsi maleuolè perseuerantes in sua malitia perfidos sese declarent, vsque dum te à vita in mortem transferant. Da igitur gratiam Domine, ne in primo certamine despondeam animum, sed cogitem esse principium, & maiorem adhuc afflictionem mihi imminere; vt non vincar impatientia, sed multò magis acceptem tamquam pręparationem ad maiorem tribulationem, quæ mihi euenire possit; atque ita dolores meos, consideratione dolorum tuorum mitigem. Amen.

PARS SECVNDA.

EXtractis vestimẽtis tuis, chlamyde coccinea induerunt te, & plectentes

tes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput tuum. Hîc parumper, ô anima mea, conſiderationis greſſum fige, & Redemptoris tui intolerabilem dolorem attende, modum cogita, ludibrium meditare, atque tormenti huius immanitatem ex te ipſa metire. Statue te in perſona Domini, taliáque arbitrare te paſſuram; capitis delicati ſenſibilitatem animaduerte, ſpinarum compunctiones cerebrum perforantes mirare, ſicque ſanguinem decurrentem lacrymarum inundatione abſterge. O horrendum ſpectaculum, Regem aſpicere gloriæ, cui cælorum famulantur obſequia, & illum tantis laceſſi iniuriis, opprobriis grauari, atque incomparabilibus premi pœnis! Mirabantur planè cæli, mirabantur Angeli, omniúmque cæleſtium ſpirituum legiones, videntes Verbum, per quod facta ſunt omnia, contemni à perfidis; Sapientiam, hominum ſordidiſſima ſuper ſe ſputa ſuſcipere; vndique Dei Filium deſpectum, agitatum, illuſum. Nam circumdederunt tibi clamydem purpuream, tamquam regale veſtimentum, quo orna-

bant

bant tam dolorosum & vulneratum corpus, & plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti tuo, & dederunt arundinem in manu dextera tamquam sceptrum. Est ne hæc intolerabilis contumelia, qua sub tantis tormentis tantum Regem subsannant, & ludibrio habent? Flectendo genua te deridebant: incipiebant te salutare, dicentes: Aue Rex Iudæorum, & dabant tibi alapas, & conspuebant te, & percutiebant caput tuum arundine, & positis genibus adorabant te. O Domine, quis potest hanc contumeliam tecum ferre, vbi tu Rex gloriæ tantam fers iniuriam, tantaque ignominia obrueris, & tam intolerabiles dolores ac pœnas suffers? Sume nunc ô anima mea lamentum grande, plange contumelias Domini tui, depone nuptialem vestem, ornamenta regalia tibi concessa, induere cilicio, asperge caput tuum cinere, faciem immuta, atque cordis tui gemitu illius leni mœrorem, totum te illi conforma; & si non vales corpore, saltem hoc age mente. Qualis autem sponsus tuus fuerit, vtique præ filiis

homi-

hominum speciosus, recole. Largire mihi Domine, hanc tuam contumeliā & opprobria quotidie deuota mente expendere; quò exemplum sumam à te, & solatium sentiam, quotiescunque ab amicis meis opprobria & contumelias patior, ac si ipsorum mancipium essem: cogitem tunc Domine, maximè salutare mihi, si tecum ac propter te irrisiones & contumelias patiar, & vbi me contristare nituntur, ibi mihi summum gaudium ducam. Atque ita tecum in secreto læter, dum ab huius sæculi filiis contemptui & despectui habeor. Amen.

PARS TERTIA.

SEd quid tantum contumeliæ inhæreo? accingam me ad dolores & pœnas, quas hîc perpessus es, considerandas. Coronarunt te tamquam Regem, sed corona spinea; qua, si coronandi essent Reges terræ, non esset Rex in toto mundo. Coronant te corona (inquam) spinea, quæ spinas longas & acutas fouebat: superiùs impressæ supra benedictos oculos, & circa totum caput sanctissimum inferiùs videbantur. Spinæ

autem fuerunt ſeptuaginta duæ, quæ vnico actu ſeptuaginta duo vulnera benedicto capiti tuo inflixerunt. O quanta tormenta hîc paſſus es Domine! Si nos vel vno vulnere in capite læſi eſſemus, ſatis ſuperque putaremus, quaſi iamiam morituri, aut ſenſibus priuandi: tu tamen ſeptuaginta duo vulnera recepiſti, vt etiam pretioſus ſanguis per totam benedictam faciem tuam tranſflueret. Si diuinitas, quaſi dura tibi propter peccata mea, te non confortaſſet, impoſſibile fuiſſet homini tot vulnera in capite ſufferre. Quid ſi nos vel acicula lædamur, ſtatim in clamorem prorumpimus: quid igitur fieret, ſi noſtrûm aliquis in capite ita vulneratus eſſet? Et non tantùm vnum habuiſti vulnus, ſed ſeptuaginta duo, cùm vnum plus ſatis fuiſſet. O nunc anima mea, conſidera qualis fuerit ſponſus tuus: vide elegantiam eius, decorum aſpectum, ſuauem facũdiam, inceſſum maturum, benignitatem, manſuetudinem, humilitatem, ſuauitatem vultus, priſtinamq. pulchritudinem meditare, hanc mente retine, delectabiliter aſpice, atque

dul-

dulcissimè amplectere, vt iam cognoscas qualia quantáque tulerit pro te: veræ considerationis oculum ad illú conuerte, qui astat tibi coccinea amictus chlamyde, coronatus spinis, sputis illitus, cruore sordidatus, cordis dolore transfixus, corporalibus pœnis incomparabiliter cruciatus, plagis plenus, circumdatus vulneribus, liuoribus tumidus, sanie deturpatus, illusus ab hominibus, à gentibus flagellatus, à discipulo venditus, ab Apostolis derelictus, persecutus à pontificibus, subsannatus à turbis, accusatus iniustè, à Rege expulsus, & omni humano auxilio destitutus.

PARS QVARTA.

CLama nunc, ô anima mea, in fortitudine, & quasi tuba exalta vocem tuam, non oris, sed cordis, sponsóque tuo dicito: Es tu Domine ille, qui paulo antè per ciuitates & castella Iudęorum discurrebas benefaciendo, languores curando, & oppressos à diabolo liberando? Loquere mihi, ô Domine, vt audiat seruus tuus, & enarra si fortè tu idem ipse es, qui glorificatus in monte,

te, Diuinitatis tuæ potentiam discipulis ostendisti. Si tu es de quo loquor, quomodo sic immutatus es? quomodo pristinum amisisti decorem? Regia dignitas, honorabilis aspectus, fulgentissimus faciei splendor, vestimentorũ candor cur sic repentè pertransiit? Delectabar vtique priùs, in te nihil deforme reperiens: nunc (proh dolor!) te intueor nouissimum virorum, virum dolorum, sine specie, sine decore, absque gloria, sine honore, & absque vlla corporis sanitate. Obduxit cruor defluens imaginem vultus, sputa humanam deturparunt formam, sicque factus es opprobrium hominum, & tuorum gaudium inimicorum. Et quare hęc tibi, ô Domine, acciderunt? Vt sanares infirmitatem meam, & oleum ac vinum vulneribus meis infunderes, & solueres quod ego debebam. Imò tu ita segregatus à mundo indicasti, quomodo nobis hoc sæculum relinquendum. Sponsa sponsum in tempore sequi debet, vt ipso in perpetuum fruatur. Nulla etenim sponsa aut sponsus hoc modo ornatur, sed tantùm sponsa tua ad exemplum à te da-

tum,

tum, vt & interiùs & exteriùs ſolatio deſtituta, tecum quaſi vulneribus plena ſpineam portet coronam in capite, & fiat idem quod tu es, vt tuo exemplo mundo mortua, ac quaſi deſolata tibi ſubſit, atque tam fortiter à te expectet ſolatium, vt intus & foris quaſi derelicta, potiùs centum annis eligat tecum pati, quàm vel minima cogitatione à te recedere. Da mihi, ô ſponſe mellitiſſime, hæc intelligere, & de manu tua cum ſumma patientia accipere; vt ſic per tribulos & ſpinas, libenter ex toto corde te ſequar, pro tua ſanctiſſima voluntate, ad gloriam & honorem nominis tui ſummum, & animæ meæ ſaluté. Amen.

Quarta MEDITATIO, *de miſerabili Saluatoris noſtri oſtenſione.*

PARS PRIMA.

HIſce peractis, exiuit iterùm Pilatus, & dixit ad Iudæos: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis, quia nullam inuenio in eo cauſam. Exiuiſti ergo bone Ieſu, portans coronam ſpineam, & purpureum

veſtimentum. Et dicit Pilatus: Ecce homo. quaſi dicat: Vidiſtis vmquam hominem ita miſerabilem, dilaniatum & vulneratum? O grande myſterium, ô diuinæ miſerationis ineffabile ſignum, videre Dei Filium, Angelorũ gaudium, & cæleſtis Ieruſalem inextinguibile lumen, ſolem ſcilicet iuſtitiæ, totũ cruentatum & ſqualidum coram vniuerſa aſtare plebe! Et quare, ô benigniſſime Domine, ſic abiectus es, factus quaſi vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis? Vt pro meis variis vitiis & imperfectionibus reſpõderes. Ego ſuperbia plenus eram, & hîc te plenum doloribus & miſeriis inuenio. Ego in abundantia deliciarum & voluptatum fui, & te hîc infinitis afflictionibus agitatum video. Vt ſummatim dicam, ego nullam in me imperfectionem expendere poſſum, pro qua tu in hac miſeria pœnas non dederis. Fui ego glorioſus & arrogãs? tu pro his deriſui & contemptui habitus es. Fui auarus & valdè attentus ad res temporales? tu hîc nudus & inops appares pro me. Fui ebrius, & exceſſi in cibo, potu, & ve-
ſtimen-

ſtimentis, aut in aliquibus aliis rebus? tu pro his pretioſum ſanguinem tuum effudiſti. Fui quandoque in deliciis? tu pro his coronam ſpineam portaſti. Fui iracundus, & odio plenus? tu vulnera pro his in abundantia dignatus es accipere. Fui ego tardus & piger in bono opere exequẽdo? tu pro his, vinculis & catenis constrictus es. Da quæſo, Domine, vt in omni mea miſeria ad hãc tuam paſſionẽ reſpiciam, & inter omnia peccata mea per tuos hoſce dolores ſpem concipiam, ne vmquam de tua diuina gratia deſperem, ſed in omni opere bono perſeuerem, atq. cum omnibus electis cõtra ſpem in ſpem credam. Amen.

PARS SECVNDA.

CVm iam vidiſſent te Pontifices & miniſtri, clamauerunt dicentes: Crucifige, crucifige eum. O Domine, quàm durum fuit hoc tibi audire, vt te vitam omnium morti tradere ſtuderent, & irruerent in te tamquam in parietem inclinatum, & in maceriam depulſam? Sed ſi hæc in te operati ſunt quid ego volo conqueri de iniuria, ſi quando mihi inferatur? qui meritò

complicatis manibus tibi gratias agere debebam, quòd me dignum ducas pro nomine tuo aliquid pati. Nihil mouit eos tua ingens miseria, quin adhuc postularēt vt morte damnareris. Eras illis spina in oculis, non obstantibus beneficiis ipsis collatis. Quid igitur refert, si ego contemnar aut iniuria afficiar, quod satis superque promerui. Eia igitur Domine, adiuua me, illumina oculos mentis meæ, vt capiam, me omnem dolorem interiorem & exteriorem satis promeruisse, firmam spem concipiendo, quòd gratiam tuam obtinere possim, ne vmquam in desperationis foueam incidam, quantumcumque etiam peccauerim. Nam miserationes tuæ sunt super omnia opera tua.

Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite eum. Ego enim non inuenio in eo causam. cui responderunt Iudæi: Nos legem habemus, & secundûm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Ecce, ô Domine, ita veritas in te contemnitur & odio habetur: quid ergo ego volo in omnibus locum habere? Tu eras Filius Dei in veritate, & non es

agni-

agnitus ab illis: ego ne ergo turbari debeo, si quid dicens pro gloria tua, non audiar? Fac ô Domine, vt ego tecum vnus sim intus & foris, vt si foris tecum obruar, intus tecum solatium percipiam, ne vmquam despondeam animum, sed cogitem te eò mihi viciniorem, quò tribulationẽ maiorem sensero. Tu enim iuxtà es his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabis.

PARS TERTIA.

ITerùm in prætorium ingressus Pilatus, interrogat te: Vnde es tu? Hîc interrogat te Pilatus humanitus loquendo, & nescit, quid dicat. Tu diuinitus non habes originem ab hominibus, à carne vel sanguine, licet ex nobilissima virgine Maria natus esses secundùm hominem. Nam de Spiritu sancto conceptus es, qui Deus eras ab æterno; cùm interim secundùm humanitatem ex mera charitate hanc miseriam & diram passionem acceptaueris, quando hoc tibi ex obedientia Patris placuit. Hinc responsum non dedisti ei. O Domine, si hanc nactus essem sapientiam, vt circa te occupatus, nullam

altitudinem aut gloriam mundi quærerem, sed potiùs tecum despici & contemni desiderarem; imò crucem tecum libentiùs portarem, quàm in hoc mundo ab omni miseria immunis esse affectarem! Sim igitur mutus, dum de huius terræ altitudine interrogatus fuero: sim quasi sine intellectu, dum præsentis vitæ voluptas mihi conceditur; quò ad omnia quæ in hoc præsenti mundo mihi eueniunt, siue sit dolor siue gaudium, sileam, ac si non haberem in ore meo redargutiones; vt ita sanctissima, beneplacens & perfecta voluntas tua semper in me fiat, in omnibus, siue bona siue mala fuerint, & sim in singulis & cunctis tecum contentus.

Dicit ergo tibi Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigendi te, & potestatem habeo dimittendi te? O superba locutio! quid te iactas? quid de te sentis, quòd hęc audeas Verbo Dei dicere? O ingens vesania, quòd homo in præsentia Dei sibi tantum vendicat! Quid quæso magis horrendum, benignissime Domine, quàm quòd homo aduersum te super-

biat,

biat, creatura in conſpectu ſui creatoris, puluis & cinis coram tua diuina Maieſtate, peccator ante thronum gratiæ? Ne quæſo, Domine, ſuperbia vmquam ingrediatur cor meum, quò me aliquid eſſe putem; ſed reſpiciam potiùs ad peccata mea innumera, ad fundamentum creationis meæ, quid videlicet ego ſim, & quid è contra ſis tu Dominus meus & Deus meus, quanta beneficia mihi præſtiteris, vt ſemper ex cordis humilitate dicam: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quoniam verò Domine in carne apparueris, vt errantes in viam reduceres, & ignorantes doceres, reſpondiſti Pilato: Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Benedictus es tu Domine in ſæcula, quòd nulla creatura quidquam in nobis poſſit operari, niſi à te ſibi datum habeat. Quocircà ſi quid nobis eueniat, non eſt quòd reſpiciamus ad hominem, ſed ad te Domine, qui in omnibus & ſingulis pro tua

occulta iuſtitia cuncta permittis. Hoc ſaltem largire, ne mali quidquam cauſemus, ſiue cogitationibus, ſiue verbis, ſiue factis; ſed libenter vnà tecum innocentes patiamur pro ſanctiſſima Patris cæleſtis voluntate, vt tandem vnà tecum remunerati, perpetuam coronam mereamur. Quis autem malorum magis in nos peccet, hoc committimus tibi, qui vnicuique ſecundùm opera ſua reddes. Iudæi qui meritò cum gaudio te recepiſſent, & tradiderunt te morti ex mera inuidia, maius peccatum habent quàm Pilatus, qui ſecundùm officium à Deo Patre ſibi traditum te condemnauit. Interim non fuit immunis à peccato etiam maximo, qui tibi ipſi Veritati citra diligentem inquiſitionem mortem intulit: & ſuo iudicio ſeipſum damnauit, cùm te, quem innocentem agnoſcebat, cruci configēdum tradidit. Nihil igitur commercij habeamus cum peccato, ſiue illud magnum ſit, ſiue paruum; ſed ſemper ſtemus à parte veritatis, & magis tecum opprimi, quàm cum malitioſo mundo dominari affectemus. Amen.

PARS

PARS QVARTA.

EX hoc tuo reſponſo quærebat Pilatus oportunitatem dimittendi te. Meditabatur vtilia, honeſta cupiebat, ſed non ea virtute qua debuit. O quàm inſtabilis eſt homo ſenſibus, qui bonum quidem quandoque facit propoſitum, ſed nimis facilè impeditur, quò minùs illud executioni mandet. Eia Domine, adeſto mihi miſerrimo peccatori; & ſi quid boni mihi inſpiraueris, hoc per te ipſum pro tua infinita bonitate effectum cura. Non me impediat, vel honor, vel vtilitas, vel hominum violentia, in eo quod vel fieri vel omitti per me volueris, diligit te ſuper omnia cor meum, quia tu ſolus es, præter quem quidquid eſt, nihil eſt. Quid igitur me ſubiiciet peccato, quod ſolum à te ſeparat? Numquid tu melior es toto vniuerſo? Eia igitur Domine confirma me in omni opere bono, ne vel ſatanas, vel infernus, vel mors à te ſeparet, ſed in amore tuo ſemper perſeuerem, hîc & in perpetuum.

Iudæi autem clamabant, dicentes: Si dimittis hunc, non es amicus Cæſaris.

Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. O bone Deus, quomodo hoſtes tecum egerunt? Non quieſcunt niſi te æternam Veritatem morti tradiderint, quò ipſi ſine veritate in mendacio perſeuerarent. Tu non indigebas Romano imperio ad regiam dignitatem defendendam, ſed illud ipſum quod erat, tibi acceptum ferre debebat, qui es Rex omnium ſæculorum. Verùm cùm Iudæi hactenus rationibus Pilatum contra te non potuerunt concitare, vi & cum imperio iam ipſum aggrediuntur, ac minis quodammodò, vt te morti tradant, compellere nituntur. Per legem quidem, cuius planè ignarus erat, commotus fuit, at vi imperiali planè ſuperatus eſt. Sed peccata mea, quæ tibi quaſi vim inferebant, ipſum puſillanimem fecerunt. Verùm quid dicã, benigniſſime Deus? Si tibi tam importuni fuerunt, vt nullum eſſet euaſionis medium, quin omnia patientia vincere ad mortem vſque debueris; quorſum ego volo in meis anguſtiis animum abiicere, vt non cogitem mihi cum patientia omnia ſuffe-

rend a,

renda, vndecumque etiam veniant, siue à satana, qui quandoque se transfigurat in Angelum lucis, quandoque cum impetu tamquam in anima & corpore simul me absorbere volens adoritur, siue ab aliis creaturis, quæ simulatè aut in secreto ex obliquo, aut impetuosè me obruunt? Scio equidem, quòd mihi fuerit sicut & tibi. Hoc namque commune est omnibus electis tuis, vt hîc lateant & sileant, hîc pro minimis habeantur, & ad tempus tecum opprimantur. Da igitur Domine, vt hæc ipsa ita in me sentiam, sicut & in te fuerunt; vt & ego in eadem charitate omnia patienter perferam, vti tu pro omnibus nobis, ex immensa charitate, hæc, ad mortem vsque perseuerando, libenter pertulisti. Amen.

Quinta MEDITATIO, *quomodo* SALVATOR *noster iudicatus sit.*

PARS PRIMA.

CVm audisset Pilatus, quòd inimicus Cæsaris esset cōstituendus, si te dimitteret Dominum

Deum meum; adduxit te foras, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostratos, Hebraiçè autē Gabbatha. Erat autem Parasceue, hora quasi sexta, & dicebat Iudæis: Ecce Rex vester. Pilatus tacitus præteriuit quæ in contradictionem Cęsaris vergebant. Erat enim amicus huius sæculi, & verebatur hominis fieri inimicus. Hinc Cæsaris oblitus, ad tuam se miseriam conuertit, si fortè animos Iudæorum ad commiserationis affectum mouere potuisset. Sed erat parasceue Paschæ, figura eorum quæ iam in te fiebant, vt sic veritas figuræ applicaretur. Quia verò eras verum Pascha transiens ex hoc mūdo ad Patrem, quò nos transferres ex ira in amorem Dei, è carcere in libertatem, ex morte in vitam, de vita gratiæ in vitam gloriæ, in Paschate mori voluisti. Et hæc contigerūnt hora quasi sexta, hoc est inchoante iam sexta mundi ætate, quam tuo saluberrimo aduentu nobis fecisti, in qua nos viuimus, & quotquot ante nos à passionis tuæ tempore venerunt, & ad nouissimum vsque diem venturi sunt. Cum hac simul cursum habet septima

ætas,quæ eſt illorum, qui in te hinc diſcedunt. Hac ſexta hora, hoc eſt in præſenti vita, tamquam Rex corona ſpinea coronatus, & veſtimento purpureo, in nudo, vulneribus ſulcato, ac pretioſo ſanguine deturpato corpore, indutus, arundinem tamquam ſceptrum regium in manu portans oſtenderis populo. Et quare hoc? Vt nos in dies ad te reſpiceremus, & tuo exemplo edoceremur, quale regnum in terris nos adminiſtrare habeamus; videlicet regnum humilitatis & patientiæ, tribulationis & abnegationis noſtri ipſorum. Da igitur Domine, vt oculos meos ſemper ad te conuerſos habeam, ſicuti à Pilato Iudæis pro nobis exhibitus es; quò cogitem omnes regni tui clientulos tribulationi malorum & dolori ſubiectos eſſe, & per patientiam triumphare. Quod vnum nos in perpetuum ſingulariter conſolari debet. Si enim compatimur & conglorificabimur. Quomodo quæſo poſſum ſuperbire, aut deliciis affluere, quãdo ad te Dominum Deum meum reſpicio? Si cælorum Rex in terris humiliatus patientiam habet vſque ad mor-

 tem,

tem, mortem autem crucis, quomodo vermiculus terræ in superbia cristas eriget? O igitur clementissime Domine, sis quęso ita miserabilis & desolatus inclusus cordi meo, quò semper oculos intellectus mei ad te introuersos habeam, & in omnibus quæ mihi eueniũt ad te respiciam, quò in meis deliciis medium teneam, & in miseriis per patientiam solatium habeam. Amen.

PARS SECVNDA.

IVdæi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. O Domine, quàm durum fuit hoc audire! Eras doloribus plenus, & nullum in te mẽbrum quod non vulneribus dissipatum esset; stabas circumdatus veste purpurea, grauatus acerbitate coronæ spineæ, tenens arundinem in manu tua, imò stabas tremẽs & pauens, & qui compateretur nõ erat. Eras illis spina in oculis, nec satiari poterant; nisi te morte turpissima damnatum in crucem egissent. Hinc clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Quid ita Domine sine misericordia clamauit, Tolle? Peccata mea, quæ verè te premebant coram Deo Patre omnipotente,

qui

qui volebat omnium noſtrûm redemptionem à vinculis diaboli: qui non aliter, quàm ſicuti imperium ſibi vſurpauerat per meam ſuperbiam, propriam voluntatem & inobedientiam; ita nunc è contrario per tuam humilitatem, patientiam & obedientiam, proſtratus ſuperari debebat. Hoc quæſo Domine quotidie ſit in corde meo, vt per iſtud à peccatis præſeruatus, numquam à dæmone per puſillanimitatem, aut aliam quamuis tentationem, vincar: ſed magis cogitem, quòd vna gutta pretioſi ſanguinis tui pro me effuſi plus virtutis habeat, quàm omnia totius mundi peccata: ſileo de tua inexplicabili paſſione, quæ ad vnam guttam pretioſi ſanguinis comparationem non habet; nec etiam peccata mea, quantumuis multa & magna, ſunt æſtimanda reſpectu peccatorum totius mundi. Deſperabo igitur, memor tuæ benedictæ paſſionis? Nequaquam. Tua etenim inexplicabilis bonitas, quæ te ad patiendum pro me impulit, in perpetuum me conſeruabit.

Dicebat illis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices:

Non habemus Regem nisi Cæsarem. Quid dicunt isti miseri homines? Reiiciunt illi te Regem viuum, Regem cæli & terræ, & præferunt tibi hominem mortalem, vermiculum super terram reptitãtem? Profectò facta factis compensantur. Cęsarem appellantes, te Dominum Deum repudiant. Verùm ab eodem quem tibi anteponunt, oppressi, & in nihilum redacti sunt, quando Titus & Vespasianus filius & pater eos circumdederunt vallo, & in terram prostrauerunt, sicuti ipsi te, & Patrem tuum cęlestem persecuti fuerant. Numquam enim benè cedit illi, qui te fontem vitæ derelinquit. Nam qui te amicum habet, habet & creaturas sibi addictas, & quiduis per ipsas à te consequi potest. Sed qui tibi contrarius est creatori, quomodo creaturas sibi fauentes habebit? O quàm fragile fundamentum ponit, qui in homine confidit! Maledictus enim, qui carnem ponit brachium suum. Homines namque in horas mutantur, vt si hodie amici, cras inimici comperiantur. Tu verò Domine charitas es, & manes in perpetuum.

tuum: Tecum igitur ego manebo. Licet mihi ſis factus ſponſus ſanguinum, & quaſi faſciculus myrrhæ, cùm te videam Regem corona ſpinea coronatum, atque ita deturpatum, vt vix hominis ſimilitudinē referas; tamen cum tua corona ſpinea mihi charior es, quā omnes honores, diuitiæ, aut voluptates huius ſæculi. Es namque Rex gloriæ, ſicuti poſteà patebit. Si igitur iam tibi compatiar, tandem etiam tibi cōregnabo. Da Domine hæc ita proſequi, ne aliter regnum tuum in terris æſtimem, quàm in humilitate, patientia & obedientia, quò hîc ita me tecum perdam, vt poſt hanc vitam in æterna me apud te inueniam. Conforta me tamquam ſtrenuum militem, qui in omni tribulatione fortiter tibi aſtem, & vexillum patientię manu tenendo, in mortem vſque te ſequar. Nam te quæro, te deſidero, apud te viuere & mori cupio, quidquid dolorum aut tribulationum mihi eueniat. Et ſi hoſtis malignus vmquam mihi ingeſſerit, quod tuo diuino honori ſit contrarium, hoc deteſtor & anathematizo, nec volo hoc vllo modo ac-

ceptare: & si videar acceptasse, non tamen est hęc mea mens, & peto, qua possum humilitate maxima, ne in perpetuum me assensum prębuisse existimes. Nam apud te qui mihi factus es sponsus sanguinum manere volo, nec quæram alium in perpetuum. Hæc, ô Domine, tua diuina gratia confirma, & rata habe nũc pro tunc, & tunc pro nunc, ne vmquam me à te separari contingat. Amen.

PARS TERTIA.

PIlatus videns quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, volens populo satisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum. Et accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens sum ego à sanguine iusti huius, vos videritis. O Domine, nullus hîc fuit qui corpus aut animam daret pro te? Totus mundus erat in maligno positus, & non inueniebatur qui operaretur bonum ad vitam æternam obtinendam, nisi hæc tua benedicta passio præcederet. Nam per tuam mortem, iram Patris sedari necessum erat. Hinc nullus corde aut opere pro te loqui poterat. Ira Dei super

pec-

peccata nostra ita commouit populum, & reddidit pusillanimem Pilatũ, quòd à tumultuariis sit superatus. Eia Domine, in quantum peccata mea causarunt mortem tuam, in tantum da mihi ea in posterum odisse, vt te ita redamem, sicuti me prior amasti, ne tui amoris in perpetuum obliuiscar. Tu hæc omnia præsciuisti, & has diras calamitates ex obedientia quàm libentissimè acceptasti. Sed vera tua innocentia in iustitia vera latêre planè nequiuit. Vnde Pilatus sententiam pronuntians, seipsum secundùm rectam iustitiam condemnauit. Quia te quem iustum nouerat, morti adiudicauit. Et hæc propter nos libenter admodum pertulisti. O si in tribulatione mea hoc intelligerem, vt deliciæ mihi essent, quando in innocentia mea pati haberem!

Pilatus lauit manus suas, tamquam liber à peccato, cùm interim procederet in malo, & malignorum petitioni, voluntatem eorum perficiendo, annueret; & te iustum, imò iustitiam ipsam, damnaret. Potest ne ita homo excusari à peccato? Nequaquam. Deus enim

Pater

Pater tuus cælestis sic nō irridetur, cùm magis cor & intentionem hominis, quàm externa verba intueatur. Lotio enim manuum non liberat malam voluntatē, qua quis homines magis quàm omnipotentem Deum timet. Da ergo Domine illam sapientiam, qua in omnibus negotiis secundùm rectam rationem agam, & tuo diuino honori seruiam. Sit cor meum sincerum; & secundùm exteriorem hominem non alium me declarem, quàm secundùm interiorem in me sentiam, ad gloriam nominis tui summam, & animæ meæ salutem promouendam. Nam tibi nequaquam imponere possum, qui multò perfectiùs cognoscis etiam minima mea ab intus, quàm homo aliquis prudens mea euidentissima ab extrà consideret. Fac ergo ex me & te vnum Domine, vt tecū perfectè tamquam sponsa cum suo sponso conueniam. Amen.

PARS QVARTA.

ET respondens vniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. O quantopere hic populus excæcatus fuit, vt omnia mala

tibi

tibi illata in ipſos redundauerint. Sanguinem tuum ſuper ſeipſos requiſierunt, & terribiliter ipſis ſuperuenit: adeò, vt in hodiernum vſque diem, vindictam ſentiant, & contemtibiles facti ſint omnibus nationibus & linguis, tam infidelibus quàm fidelibus. Sit quæſo hic pretioſus ſanguis tuus, Domine, nobis in bonum, & non in vindictam. Væ nobis, ſi ſanguis tuus vindictam poſtulauerit. Tunc enim hîc & in futuro pœnæ nobis dandæ fuerint. Sed ſi nobis cooperetur in bonum, adferet gaudium hîc & in perpetuum. Nam ad hoc effudiſti pro nobis ſanguinem tuum pretioſum, vt nos in eo tamquã in balneo lauaremur, per quod mundati à peccatis, tecum in patria locum haberemus. Exhilaret ergo me hic tuus pretioſus ſanguis in corpore & anima, ſolatium mihi præſtet contra omnes hoſtes, quò ſecundùm rationem & intellectum reparatus, à nullo impediar, quin tandem ex hac vita ad vitam æternam felicem tranſitum faciam.

Tunc dimiſit illis Pilatus Barabbam, qui propter homicidium & ſeditionem

miſſus

missus fuerat in carcerem, quem petebant, te autem flagellatum tradidit voluntati eorum. Iam, ô Domine, data est sententia super te quòd iuxta desiderium Iudæorum in cruce mortem subires. Tua sanctitas, probitas, virtus, nobilitas & diuina Maiestas, nihil tibi præstiterunt, quin te mori oporteret, & hoc propter me. Quid ego igitur volo me excusare ne quid patiar pro te, cùm tam voluntariè te ipsum pro me in mortem tradideris? Sed est ne mirabile? Barabbas latro dimittitur, & tu vita ipsa morti adiudicaris. Quorsum ego volo in admirationem trahere, si alio liberato ego interdũ pati habeam? Non est quòd me alicui alteri præferam, cùm fortè omnium pessimus sim. Si ergo me inueniat tribulatio, quę alium transit, non est quòd putem mihi iniuriam fieri, cùm tu Dominus meus & Deus meus præ homicida mortis sententiam in te sumpseris. Si ego nihil haberem pati in terris nisi iniustè, & malitiosis parceretur, sufficiens in hac tua passione solatium haberem, quòd videlicet non essem melior te: sed magnam ducerem

gra-

gratiam, quòd dignus fierem pati aliquid, cùm alij in deliciis viuentes, miseriam & dolorem ignorent. Imò dum ad hanc tuam passionem respicio, non potest mihi tanta fieri iniuria, quanta tibi Domino meo ac Deo meo propter me & meam salutem illata est. Nam quid sum ego respectu tuæ diuinæ Maiestatis, qui ne nominari quidem merui ante oculos tuæ diuinitatis? Et quis est peccator, cuius respectu ego possem superbire? Est aliquod genus peccati sub sole, à quo me liberum æstimare queam? Non sanè. Et si hactenus hoc vel illud non commiserim, facilè tamen in illud incidissem, si tua diuina bonitas me non præseruasset. Ne igitur Domine in vlla tribulatione sim impatiens, sed respiciam semper ad iniuriam & vim tibi propter me illatam; & sic solatio percepto, gaudium existimem, quòd ego per meam miseriam tuę benedictæ passionis particeps fiam. Amen.

FERIA QVINTA.

Prima MEDITATIO, *de Crucis baiulatione.*

PARS PRIMA.

BENIGNISSIME Domine, iam susceperunt te, deposita purpura, & propriis vestibus indutum educunt te, crucifigendum. Quæ tormenta, quas contumelias tibi non irrogarunt? Cùm iam ad crucifigendum te educerēt, propriis rursum vestibus te induerunt, vt omnibus innotesceres. Fueras vir magnus, & insignis, ac in summo honore habitus, cuius fama in exteras nationes erat diuulgata virtute diuinitatis tuæ, qua turbas sæpiùs paueras in solitudine, ex quo te Regem creare venerant. Multos cæcos illuminaueras, surdis reseraueras auditum, leprosos mundaueras, mortuos suscitaueras, imò Lazarum quatriduanum, quod totus mūdus mirabatur, ad vitam reuocaueras; & iam in paschate, quando Iudæi & gentes ex cūctis terris conuenerant, cum summa

contumelia eductus es ad crucifigendum. Imò propriis te induerunt vestibus, vt quicumque te antè viderat vel audierat, vel etiam loquenti de te auscultauerat, iam hoc symbolo te recognosceret; atque hinc colligeret, quòd hypocrita & fallax homo, fuisses, qui sub specie virtutum & bonorũ operum, tantus peccator hanc contumeliæ viam ad montem Caluariæ promeruisses. Quomodo, Domine, post tot virtutes, tantáque bona opera, maiori potuisses contumelia affici? Si tecum tam turpiter egerunt, qui es virtus & veritas ipsa; quid ego volo excandescere, si quandoque ignominiam patiar? Tu eras iustus, imò Deus ipsa iustitia, & hæc tolerasti cum patientia; volo ego reus & peccator maximus irasci propter aliquã contumeliam, quæ mihi inferri possit? Ego tantum pati nequeo, quia amplius iniquitatibus meis promeruerim. Eia Domine, imprime hanc inauditam tuam contumeliam cordi meo, vt ad eam respiciens, nullam ignominiam mihi illatam sentiam. Hæc namque tua contumelia omnem confusionem superat, vt

meritò

meritò pudore suffundar, si quando simile habeam pati, quod in infinitum promerui. Per hanc igitur tuam contumeliam ita commoue cor meum, vt ego illa occupatus, iniuriam mihi illatam non animaduertam; sed cogitem quòd ita deceat, & minor sit peccatis meis.

PARS SECVNDA.

EDuctus es ad montem Caluariæ, portans propriam crucem. Est ne hæc summa contumelia, quæ tibi illata est? Omnino Domine. Nam hoc quod tibi contigit, nulli vnquam mortalium vsu venit, ne latronibus quidem tecum crucifigendis, & dignam facinoribus suis pœnam expectantibus. Tibi verò crucem portandam imposuerunt, quò te summa ignominia afficerent, atq. isto symbolo omnibus notum facerent, te inter omnes maximè reum mortis, & plusquam hi latrones, qui tecũ in mortem ibant. Dum intueor personam, quam tu innocens assumpsisti, vt tu ipsa sanctitas hæc pati volueris in persona totius humani generis, non possum satis mirari tuam infinitam charitatem, qua tu qui peccatum non feceras, in

cuius ore dolus inuentus non fuerat, tantùm propter nos hãc summam contumeliam in te susceperis. Sed hinc colligo, quis sim. Ego namque hanc extremam ignominiam promerueram, vt meritò semper habeam occasionẽ humiliandi me, quò subiiciar tuo regimini, qui in tantum me dilexisti. Nam si tanti factus sum cùm adhuc essem inimicus; quanto magis mihi intendes nunc, cùm me lotum pretioso sanguine tuo sponsam tuam effeceris, & verissima carne tua & sanguine quotidie cibaueris? Ne igitur Domine in posterum diffidam de tua ineffabili bonitate, sed accipiam de manu tua cuncta quæ mihi eueniant; & cogitem quòd tam tribulationes & dolores quàm perfectissima gratia mihi in bonum cooperari possint, cùm etiam tribulatio in gratia, gratia magna sit.

PARS TERTIA.

O Domine, hac crucis via adimplesti figurã quę in Isaac summi Patriarchę Abrahæ filio præcesserat. Dum enim Pater cælestis mandaret Abrahæ, vt filium suum vnigenitum offerret in

vno montiū sibi monstrando (*Gen.* 22.) imposuit illi ligna holocausti portanda. Ad hunc modum tu verus Isaac, Abrahæ & omnibus nobis lignum sanctæ Crucis libenter admodum ex obedientia Patris, propriis humeris ad montem Caluariæ deportasti; vt fieres nobis risus, id est, gaudium, eò quòd nos per hanc miserabilem crucis baiulationem ab æterna inferni cruce liberaremur. Eia Domine largire, vt alta mentis contemplatione hæc meditanda sumam, vt per crucem à Deo Patre tibi impositam, diligenter attēdam ex quanta charitate crux mihi quotidie imponatur. Verùm ô Domine, intuere meā magnam infirmitatem, & succurre mihi tamquam sponsus sponsæ, nec sinas me tentari supra id quod possum. Ego libenter tecum obediam Patri cælesti, sed inuenio me fragiliorem, quàm vt solus crucem meam portem. Itaque Domine adiuua me, & da cum tentatione prouentum, vt sustinere possim; ne charitas in me per tentationes diminuatur, sed augmentum sumat, atq. ita virtutē passionis in me experiar. Amen.

PARS

PARS QVARTA.

CVm iam ita grauatus onere sanctæ Crucis progredereris, factus est tumultus per totam ciuitatẽ maximus; ante fores palatij aderat innumerabilium concursus populorum, quoniam (vt moris est) omnes ad hoc confluxerunt spectaculum. Murmurabat populus contra se inuicem, cùm alius diceret te iustum & sanctum, alius turbarum seductorem. Alij dicebant: Itáne relinquitur iustus, vt non sit qui cogitet in corde suo? alij dicebant: Transeat, ne vmquam in hominum memoriam reuertatur. atque ita, misericordissime Deus, fuerunt tibi amici & inimici. Verumtamen tu ad neminem respexisti, sed oculos ad Patrem tuum cælestem cõuersos habebas, & ad eius obedientiam in finem vsque sub cruce perseuerasti. Eia Domine sis mecum, & hanc perfectionem in me operare, ne vmquam per gloriam aut ignominiam, per amicos aut inimicos, per speciem amoris aut odij à te separer; sed permaneam tecum in tribulationibus ad coronam vitæ consequendam, quam per

hanc diram crucis baiulationem nobis impetrasti. Verùm portabas crucem incessu humili, dimisso vultu, totus fatigatus & anxius: quippe qui tota nocte fueras colaphizatus, consputus, illusus atque oppressus, posteà flagellatus ac spinis coronatus. Defecerat planè in te naturalis virtus, propterea cruciabaris immaniter, atq; in omnibus his patientiam cum humilitate coniunctam habuisti, cùm tamquam spōsa viam illam tristem ad sponsum ingredereris; vt & nos, in quorum persona hanc viam difficillimam strauisti, in patientia & humilitate crucem nostram portemus: quò ad locum perfectionis deducti, vnum tecum efficiamur. Verùm tu, ô Domine, supple quod in me desideratur, & da gratiam, quam nondum habeo: tolle à me omnem infirmitatem, & fer auxilium: da gratiam, & conforta me, vt per te sponsum meum, fiam quod non sum, & perdam quod malum in me inueneris, quò per te ipsum tibi verè vniri merear. Amen.

Secunda MEDITATIO, *de ipsa Crucis via.*

PARS PRIMA.

O Benignissime Deus, sicuti in die Palmarum cum magna gloria & honore ingressus es ciuitatem Ierosolymitanam, turbis acclamantibus: Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: & vestimenta sua deposuerunt, & ramos de arboribus cædentes strauerunt in via: ita nunc cum omni ignominia vestibus propriis reindutum, & grauissimo crucis onere grauatum te ad montem Caluarię educunt. O Domine, quis poterit comprehendere tuorum operum & passionis amaræ mysteria? Verè enim opposuisti illis altitudinem diuinæ Maiestatis, quę in die Palmarum sese manifestauit, & immania peccata totius humani generis, quæ in die Parasceues per passionem tuam & mortem manifestantur. Ex eo namque quòd nostra innumera peccata in te suscepisses, tam tristem & difficilem viam in-

gressus es: atque ita miscuisti diuinam altitudinem, & humanam fragilitatem, faciens ex his medicamentum nobile ad nos sanandos & cōfortandos in anima & corpore: vt semper, quomodocumque etiam nobiscum agatur, contenti simus. Eia Domine, da mihi miserrimo peccatori singulariter hoc cogitare, vt semper mihi benè sit, siue in tristitia siue lætitia inueniar; quò te laudem atque glorificem, tam de meis imperfectionibus subtracta gratia tua diuina, quàm de maximà perfectione in summa contemplatione, si quando in me operatus fueris. Scio equidem & verum iudico, quòd in subtractione tuę diuinæ gratię tam benè gratia operetur, quàm in summa cooperatione Spiritus sancti. Sis igitur ô Domine in me, vt in omnibus hoc sentiam in me, quod & in te est. Amen.

PARS SECVNDA.

O Misericors æterne Deus, quàm tristem & miserabilem viam ingressus es, dum crucis onere grauatus, ires ad montem Caluariæ, vt debitum pro nobis solueres, & de diaboli tyrannide

nide nos redimeres. Eras per totum corpus miserabiliter flagellatus, & plenus vulneribus, eras grauatus dira corona, quę septuaginta duo vulnera benedicto capiti tuo apposuerat. Crux erat magna & ponderosa, insuper longa, vt à tergo per terram & lapides traheretur, & per illum tractum intolerabilem dolorem sentires, vt etiam totum benedictum corpus tuum expauesceret. Prætereà quoties progressum faciebas, toties altiùs radices agebat corona spinea benedicto capiti tuo impressa, vt etiam pretiosus sanguis tuus per benedictam faciem tuam in terram proflueret. Quis ô Domine satis superque meditando expendere potest, quantos dolores in hac via crucis tuleris? Eia Domine, trahe me in præsentiam tuam, vt quasi in spiritu videam, quàm desolatus hîc fueris propter me, vt & ego quandoq. in mea desolatione solatium percipiam. Dignare quæso hos tuos intolerabiles dolores tam arctè imprimère cordi meo, vt omnium miseriarum obliuionem in me operentur. Singulariter Domine, quando cogitationibus prauis & inor-

dinatis, vel etiam phantaſmatis obruor: fac cor meum hüc conuerſum habeam ad tempus meum vtiliter tranſigẽdum, ne propter phantaſmata varia iacturam temporis faciam, & profundiùs in foueam deſperationis demergar; ſed potiùs per huius benedictæ paſſionis tuæ meditationem, tẽpus lucrifaciam, quò in corde meo illuminationem, & in intellectu doctrinam percipiam. Nam per meditationem ſacroſanctæ paſſionis nõ tantùm ſolatium inuenio in tribulationibus meis, aut ad cordis mei illuminationem; verùm etiam ſecundùm intellectum addiſco, quomodo humilitatem, patientiam, & obedientiam exercere debeam. Eia igitur Domine, ſuſcipe me in huius miſerabilis viæ tuę contemplatione, vt hîc tamquam in ſchola virtutũ & perfectionis inueniar. Amen.

PARS TERTIA.

CVm iam eſſes in hac triſti & ſanguinea, cum cruce, via, obuiam habuiſti in hac deſolatione ſanctiſſimam matrem triſtem & anxiam; quæ miſerabiliter te intuens, auxilium ferre nequiuit. Illa ex magno cordis dolore

con-

concidit, & tu paulò pòſt ſub crucis onere proſtratus es in terram; ita, vt mors vos abſorpſiſſet, niſi diuina potentia, ſeuera hac in parte, vobis ad maiora certamina pepercisset. Non enim habebas in mandatis ſub crucis onere ſuccumbere, ſed vt cruci tribus clauis confixus, quando Patri placeret, morereris: & hæc omnia benedicta mater tua præſens videre debebat, vt ipſa in corde ſentiret, quod tu in corpore patiebaris. Hoc & animæ meæ ſponſæ tuæ largire ô Domine, vt cum Maria matre miſericordiæ in corde ſentiam, quod propter me, & meam ſalutem, tam acerbè in corpore perpeſſus es. Præcipuè Domine, qui adhuc habes portare crucem, fer eam in omnibus electis, qui propter nomen tuum patiuntur. O bujàm quæſo procede noſtri omnium matri Eccleſiæ anxię & afflictæ, quę in tantum grauatur, vt multis in locis ad terram proſternatur: fer ei opem, & conforta per hanc tuam diram paſſionem, nec deſeras illam vſque in finem: ſed exurge quaſi crapulatus à vino, & fac vindictam in hoſtes tuos, à quibus paſſim

tam miserè opprimitur, vt iam in mediis calamitatibus semel respiret, & se numquam à te deserēdam sentiat: quia tu nobiscum es omnibus diebus vitæ vsque ad consummationem sæculi. Dignare igitur aliquem excitare, cui gladium cum Gedeone tradas, qui cum omni diligentia in fortitudine defendat electam tuam spōsam, pro qua hanc viam difficillimam es aggressus, ne tuus pretiosus sanguis in vllo electorū pereat. Euigila igitur Domine, & excita vnum Sampsonem, qui populum tuum ab hostibus liberet, quò sponsa tua charissima plenum super terram solatium in conspectu tuo percipiat. Amen.

PARS QVARTA.

IN hac etiam diræ crucis via obuiam habuisti Veronicam piam matronam, quæ tibi vasto crucis ligno onerato, & pretiosi sanguinis sudore deturpato compassa est. Quare alacrior cum lacrymis occurrit, exhibens tibi linteum tamquam sudarium, quo benedictam faciem tuam abstergeres. Beata mulier, quæ digna fuit hac in parte tibi ministrare! Quia nullum bonum irre-

muneratum relinquis, qui potés es exiguum pietatis opus magno gratiæ beneficio compensare. Quam ergo gratitudinem huic matronæ exhibuisti? Profectò beneficium quod simile non habet. Nam benedictam faciem tuam linteo impressam ei restituisti. Quid pretiosius reddere potuisti? In hac tua benedicta facie, seipsam considerare poterat, ad discendam humilitatem, patientiam, mansuetudinem, lóganimitatem, & obedientiam, quę omnes virtutes superat. Nam tua benedicta facies erat tamquam schola perfectionis; in qua omnia, quibus intus & foris indiget homo, discere potest. Imò benedicta facies tua est dulcedo, & reparatio omnium vulnerum, & relaxatio omnis tristitiæ & tentationum; vt homo respiciens in benedictam faciem tuam, omnium dolorum & miseriarum obliuiscatur. Sed vt summatim dicam, benedicta facies tua, est satietas omnium quæ homo desiderare potest. Qui namque te habet, omnia habet; & qui gaudet benedicta facie tua, te gaudet. O si & mihi hæc gratia eueniat, vt cum pia Veronica tibi

obuiàm procedam, ad idem benefi-
cium, quod ipsa consecuta est, obtinen-
dum. Ita Domine, munda & conforta
me, vt quotidie cum mundo cordis mei
sudario tibi obuiem, ad miserabilem
sanguineam faciem tuam abstergen-
dam, per intimam benedictæ passionis
tuæ contemplationem, quò in spiritu
tam perfectè, ac si corporaliter præsens
essem, in tua salutari passione me exer-
ceam, & expendam quàm tristem &
acerbam viam hîc ambulaueris, onu-
stus duro sanctæ Crucis onere, grauatus
spinea corona, ac per totum corpus vul-
neribus sulcatus, vt ne homini similis
videreris. Hoc, benigne Domine, ex
toto corde meditari studeam cum gra-
tiarum actione: recogitem in amaritu-
dine animæ meæ, cum vera cordis con-
tritione, quòd causa sim horum om-
nium: recogitem cum tanta charitate, vt
aliud non affectem, nisi inhærere tuis
vestigiis, quò tua benedicta facies cum
gratiarum actione cordi meo imprima-
tur; ne vmquam in perpetuum tuæ be-
nedictæ passionis obliuiscar, sed omnia
mea verba, facta, & cogitata, imò ci-
bum

bum & potum cum tuo pretioso sanguine misceam, & non nisi de tua amara passione loquar: & si comedam aut bibam, nihil aliud cogitem, nisi de hac desolata crucis tuæ via, quam & ego omnibus diebus vitæ meæ ambulare desidero. Imò quæso des mihi, ne vigilando, aut dormiendo, aliud cogitem vel somniem, quàm de tua benedicta passione, de qua in tempore & æternitate nil nisi vita & salus promanant. Quòd si, ô Domine, hanc tuam salutarem passionem cordi meo impresseris, saluus ero, & Patri tuo cælesti hîc & in futuro placebo. Quod in me dignetur operari Spiritus sanctus, qui solus testimonium dat cordi, quòd ego tecum sim, & tu mecum, quò tu cum Patre & Spiritu sancto viuas in me ex hoc nunc & in perpetuum. Amen.

Tertia MEDITATIO, *de adiutorio Simonis, qui coactus opem ferre, crucem cum* DOMINO *portauit.*

PARS PRIMA.

VBi iam, amãtissime Domine, tanto onere grauatus hucusque ve-



nisses, eras totus defatigatus. Nam vires naturales deficiebant, cùm totus exhaustus vix guttam pretiosi sanguinis reliquam haberes ad cor tuum fragile confortandum. Eras autem in tantum angustiatus sub crucis onere, vt metuerent ne in via extinguereris, quamuis diuinitas hac in parte durior te pro iustitia peccatis nostris debita confortaret. Poterat ne cadere Dñe in admirationẽ, quòd naturaliter esses defessus, qui ita vndiq. angebaris? Imò mirum erat, quòd adhuc respirares, dum corpore vulneribus dissipato tãtum crucis onus portares, & vestimenta tua diris vulneribus adhærerent, vt in toto benedicto corpore tuo nil nisi rubra caro appareret, ac insuper in capite haberes coronam spineam, quæ toties, quoties progredereris, aut te moueres, profundiùs sacrosanctum caput tuum penetrabat. Esset igitur admiratione dignum, quòd in te anima angustiaretur? Sed incomprehensibilis diuinitas te in vita conseruabat. Per hanc ergo diram passionem, succurre mihi Domine in necessitatibus meis, & noli mihi crucem grauio-

rem imponere, quàm sustinere queam. Ego peccatis meis multa merui, cùm hæc omnia mihi perferenda fuissent. Sed non secundùm peccata mea facias mihi, neq; secundùm iniquitates meas retribuas mihi: verùm secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me, & miserere mei. Quando verò videris me Domine propter peccata mea dira pati, noli me derelinquere, nec in desperationem cadere sinas: sed me per veram in te spem conforta, sicuti tu solatium habuisti per charitatem erga nos: & quod in te operata est diuinitas, hoc in me tua diuina gratia perficiat, & tunc me non anget tribulatio, nec charitatē erga te diminuet. Amen.

PARS SECVNDA.

CVm iam, Domine, tāto onere grauareris, timebant ne in via sub cruce prostratus mortem incurreres. Vnde adsciuerunt tibi coadiutorem, non ex commiserationis affectu, sed ex destinata cordis malitia, vt videlicet ad impium propositum peruenirent, ac simul Prophetarum dicta, ac Patris cælestis voluntatem adimplerent, & sicut

Moyſes ſerpentem in deſerto, ita te in cruce exaltarent. Atque ita facile eſt inuenire diuerſas tuæ benedictæ paſſionis cauſas. Pater namque cæleſtis voluit, vt in cruce, tanta iam cum afflictione portata, vitam cum morte commutares, & hoc pro totius humani generis peccatis. Prophetæ hoc multifariàm, multiſque modis prædixerunt, ſacrificia ac cęrimonię veteris Legis nobis pręſignarant, ad agnoſcendam voluntatem Patris tui cæleſtis, qui ex charitate pro nobis hoc fieri voluit. At impij Iudæi hoc ex deſtinata malitia, ex odio & inuidia effectum curarunt, quod tu propter nos libenter admodum pertuliſti. Non autem reſpexiſti ad impios Iudęos, quibus magis quàm tibi ipſi cōdoluiſti, cùm in extrema paſſione etiam oraueris pro ipſis, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non, inquam, ad illos, ſed ad Patrem tuum cæleſtem reſpexiſti, cui etiam obediens fuiſti vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ad hunc modum da mihi Domine crucem portare quotidie. Non intendam huic, aut illi, à quo mihi iniuria fiat; ſed tuæ

infi-

infinitæ bonitati, quæ illam mihi præordinauit. Omnes enim capilli capitis mei numerati ſunt, & ne vnus mihi excidet citra tuam diuinam voluntatem. Et quare Domine hoc aut illud mihi euenire permittis? Non aliam ob cauſam, quàm vt ex mera charitate me tibi conformem facias, ſicuti ex mera gratia me tecum torcular calcare dignum ducis; vt ſi hîc tibi compatiar, poſteà etiam tibi conglorificer. Amen.

PARS TERTIA.

EXeuntes autem inuenerunt hominem, Cyrenæum, nomine Simonem, venientem de villa, Patrem Alexandri & Rufi, hunc apprehenderunt & angariauerunt vt tolleret crucem tuam, & impoſuerunt illi crucem portare poſt te. O quàm fortunatus fuit hic Simon, ad crucem tecum portandam vocatus! Beatus enim, qui tecum portauerit. Crucem namque portare oportet, ſi non tuam, ſaltem ſatanæ. Sed væ illi qui ſatanæ crucem portauerit. Illius enim crux eſt ad initium facilis; verùm ad finem nimis difficilis, vt etiam cum puſillanimitate coniuncta, hominem in

deſpe-

desperationem adigat. Quæ est quæso, Domine, crux satanæ? Saltare, choreas ducere, die ac nocte cum sodalibus cibo & potu sese obruere, cum periculo vitæ genio indulgere, in cõtinuo garritu & contentione viuere, nullum tædium sentire in discurrendo & laborando ad terrestres thesauros congregandos, aut honores acquirendos. Hæc omnia secundùm carnem homini sunt gratissima, sed finis omnium mordet vt coluber; vt homo, qui sic in bonis duxit dies suos, meritò cum amaritudine lacrymetur, quòd tanta temporis iactura seipsum consumpserit. Lacrymatur inquam, quòd pro hisce deliciis & voluptatibus iam infernum sibi paratum videat, nec speret se ab hac cruce liberandum, quin huic temporali æternam crucem successuram magis metuat. Verùm enimuerò, Domine, qui tecum crucẽ portat, onus graue sentit in principio. Nam ieiunare & orare, omnibus sese inferiorem præbere, viuere in humilitate, patientia, & obedientia, tuis inhærere vestigiis, valdè laboriosum est & molestum hominibus; attamen cum

tem-

tempore hæc crux tua facilior, suauior, & dulcior redditur, dans tranquillitatem & pacem hîc & in futuro. Adsit igitur mihi Domine crux tua, ne crux diaboli in me locũ habeat. Quid enim mihi iucundius esse potest cruce tua, quæ me tecũ & cum omnibus electis in tribulationibus tuis perseuerare facit? Perseuerãti autem promisisti mihi cum tuis sanctis Apostolis, vt manducem & bibam tecum in mensa tua. Hîc igitur ita tibi compatiar, vt etiam in perpetuum congaudeam. Amen.

PARS QVARTA.

SEd Simon coactus est crucem portare post te. Licet autem ęgrè admodum fecerit, tamen suppetias tibi tales quales tulit, de necessitate faciens virtutem. O diuinam bonitatem, quę consueta opera sapientiæ tuæ reserasti, quãdo de malitia sapientiam, de nocendi proposito benefaciendi affluentiam, de malo bonum, de peccatorum tenebris, miserationis fecisti splendescere lucem, atque de ipsa crucis angaria spirituale contulisti Sacramentum. Quid igitur hoc Sacramento significasti? Sanctam

necessi-

necessitatem meliorem esse malitiosa libertate. Tu namque nos cogis, vt voluntarios facias, & necessitatem in virtutem commutas. Noli igitur Domine intueri meam magnã imperfectionem, sed tuam immensam bonitatem ac sapientiam: nec agas mecum pro desiderio meo carnali, verùm pro tua sanctissima voluntate, & animæ meæ salute. Tu namque meliùs nosti, quàm ego ipsemet, quid mihi expediat. Si igitur pertæsus dolorum, non libenter patiar secundùm sensualitatem, non hoc cures: sed semper diuina fiat voluntas ad gloriam nominis tui summam, & animæ meæ salutem, siue gratum, siue ingratum carni meæ fuerit. At verò, amantissime Domine ac Pater, da mihi cum tempore illam sapientiam & fortitudinem, vt meipsum vincens, in omni tribulatione tuam sanctissimam voluntatem cognoscam, donec extra meipsum me recipiens ad tuam sanctã vnionem perueniam, quò in omnibus tam aduersis quàm prosperis, tam in dulcibus quàm amaris, tam in tribulatione quàm in pugna tecum vnum efficiar, & post

hanc

hanc vitam locum habeam, vbi tu es omnia in omnibus, & absterges omnem lacrymam ab oculis nostris, quò omnium malorum præteritorum obliti, tecum tranquillitatem & pacem habeamus in perpetuum. Amen.

Quarta MEDITATIO, *de crucis baiulatione.*

PARS PRIMA.

O Domine Iesu Christe, Deus Redēptor atque Saluator meus, hucusque iam peruenisti totus defatigatus, & labore quasi victus, & necdum liberaris, sed grauissimum sanctæ crucis adhuc portas onus. Modicum quidem Simon te subleuauit, sed potissimum crucis pondus adhuc sustines. Simon quidem parumper tibi succurrit, sed totã molem humeris sanctissimis sustentas. Quid igitur ego cõqueror de mea miseria quasi diuturna? Potest esse dolor maior quã tibi infertur? Dum igitur te intueor, qui es Filius Dei, & immane supplicium, quod innocés, & propter me tantùm, qui inimicus

tuus eram, pertulisti, meritò cōfundor conquerens de tribulatione mea, vel eam grauem æstimans. Ego enim perpetuum supplicium promerueram, quod tu Filius Dei viui temporali supplicio aboleuisti: nihil ergo in gratiarum actionem pro te in terris perferam? Planè. Nam si post Baptismum numquam te offendissem, tamen charitas inter te & me tanta esse debebat, vt de nulla afflictione conquererer. sed omnia libenter admodum, ex vera charitate & fide, quam sponsa debet sponso, libentissimè perferrem, quidquid etiam illud fuerit. Suscipe ergo me erudiendum in spiritu Domine, quò in corde meo sentiam immensam tuam charitatem erga nos, ad intelligendum quomodo in omni necessitate & tribulatione erga te affecti esse debeamus, vt pro amore ineffabili nobis exhibito, amorem semper rependamus. Verùm, ô Domine, hoc sine te ego consequi nequeo. Sis ergo in me tamquam in teipso, ad operandum in me sicut & in teipso; vt tibi per te semper placeam in omnibus, nūc & in perpetuum. Amen.

PARS SECVNDA.

O Nunc anima mea, & omnia quæ intra me ſunt, egredimini, & videte Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit eum mater ſua Iudęa: videte, quàm triſti inceſſu portet onus grauiſſimum ſanctæ Crucis, vt ſub eo ad terram inclinatus procederet, ſæpiùs per verbera & tractus inordinatos ad terram proſtratus: reſpicite magnam eius miſeriam & dolores grauiſſimos, vbi corona ſpinea grauatus, non alius quàm ſanguine tinctus appareret: reſpicite diligenter, & non ſine ſingultu & gemitu, vt hinc ſolatium in cunctis tribulationibus percipiatis.

O omnipotens ſempiterne Deus, qui propter me te huic paſſioni ſubiecisti, me tibi ſpiritu atque animo coràm fac adeſſe, ad intuendum te in hac tua triſtitia; quò in cordis contritione doceat ſeruare patientiam, humilitatem & obedientiam; & te per abnegationem meiipſius, in omni perſecutione & tribulatione quæ me inueniant, ſequar; ac in cunctis confortatus cogitem, non me, ſed te hæc pati in me, quia tu es caput,

put, sponsus, & salus mea. Si contumelia afficiar, non mihi eam inferri autumem: tu namque es in quem omnia redundant, quæcumque etiam minimis tuis, vt mihi, inferuntur. Si quid igitur in me pertuleris, à me non reiiciam, sed cum gratiarum actione de manu tua accipiam, laudans atque glorificans te, quòd tuæ passionis me, quamuis aliquando in paruo, participem facias. Da mihi Domine hoc consequi ex acerbissima passione tua, vt non frustrà in spiritu tibi crucem portanti obuiàm processerim. Amen.

PARS TERTIA.

SEquebatur autem te multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur. Meritò planxissent, si te in veritate cognouissent. Quis enim non lamentaretur, considerata tua innocentia? imò quòd tu Dei Filius hanc contumeliam, quam ipse promeruerat, patereris? Profectò vel saxeo corde esse debebat, & omnium ingratissimus, qui hîc non lacrymaretur, vbi duæ tam magnæ plorandi causæ offeruntur; videlicet, quòd homo pec-

cator hæc pati debuisset, & tu ipsa Iustitia, verus Dei Filius, qui peccatum non feceras, in cuius ore dolus inuentus non fuerat, pro homine hæc pati dignatus sis. Si horum fuissent memores, rectè fleuissent, & passionis tuę participes fuissent. Verùm lamentabantur ex humano compassionis affectu, putantes te per magnũ infortunium, quasi derelictum à Deo, in hanc miseriam incidisse, sicuti multi calamitates sufferunt, & nesciunt quomodo. Sed hoc procul à te, qui non ex improuiso, nec ex necessitate, sed ex libera animi voluntate, per obedientiam Patris, hanc passionem ex mera charitate propter nos, & propter nostram salutẽ, assumere dignatus es. Meritò igitur ego tibi compatiar, deplorans die ac nocte peccata mea, quæ tibi horum malorum occasionem dederunt. Insuper ex charitate lamentari possum, scilicet gratitudinis ergô, quòd tu cùm inimicus essem, in tantum me dilexeris, vt hanc ingredereris pro me viam, cùm hoc nondum affectarem, aut petere auderem. Super omnia autem ex vera cordis contritione

meri-

meritò in lacrymas quotidie prorumpere teneor, eò quòd peccatis meis innumeris hanc tuam diram passionem, quantum in me est, toties renouo, ac denuò tibi hanc immanem crucis molem portandam impono, quoties iterùm peccati reus fio. Da igitur mihi Domine, ex charitate in gratiarũ actionem lacrymari, quò indies benedictæ passionis tuæ beneficia in me renouem. Amen.

PARS QVARTA.

ET tu conuersus ad illas dixisti: Filię Ierusalem, nolite flere super me, tamquam procul à Deo, & ex necessitate patientem, aut à sanctorum societate segregatum, cùm ego spontaneè ex Patris mei cælestis obedientia & libente admodum hæc patior tamquam transitoria, quæ citò finem habebunt. Nolite ergo flere super me, sed super vo ipsas flete, & super filios vestros. Flet (dico) quòd tales filios genueritis, qu peruersi hac temporali afflictione m afficiunt, pro qua ipsi æternaliter pu niendi e unt. Quoniam ecce dies ve nient, in quibus dicent: Beatæ steriles

& ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Dies, inquam, venient, videlicet deuastationis Ierosolymitanæ, & nouissimi iudicij; in quibus dicent: Beatæ steriles; eò quòd nos natæ filiæ perditionis, filios iniquitatum procreauerimus, cum quibus temporaliter afflictæ in obsidione ciuitatis Ierosolymitanæ, nunc etiam æternaliter puniendæ erimus. Tunc dicent montibus, Cadite super nos; & collibus, Cooperite nos, ne vultum Dei omnipotētis iratum videamus. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? hoc est, Exercent in me hanc tyrannidem, qui illis nihil mali feci, sed salutis tantùm admonui; quid in arido fiet, hoc est pessimis hominibus, qui nihil boni facientes, facti sunt sicut pix & sulphur fomites inferni? Quoniam si iusto in terris hæc mala inferuntur, impius vbi manebit; quando ratio exigetur tam exacta, vt nihil inultum mãserit? His verbis vsus es ad inutiles lacrymas prohibendas: lacrymæ enim, quæ non ex vera fide & sincera charitate proueniunt, coram te sunt odiosæ, & commodi nihil

adferunt, nisi afflictionem carnis, & sanguinis consumptionem. Sed si lacrymemur ex vera fide, ex cordis contritione, & charitate sincera, auro & argento præponderabunt, & maioris fient apud te, quàm margaritæ, aut quidquid in terris æstimari possit. O igitur omnipotens & misericors Deus, qui me tanto prosecutus es amore, vt propter me hanc diram viam ingressus sis, aperi mihi intellectum, & da sapientiam, vt caueam mihi à lacrymis infrugiferis, quas oculi mei indies eiiciunt, & nescio quorsum, nisi vt meipsum affligam, cùm nulla subsit causa, nisi mea ipsius impatientia & magna superbia, quòd videlicet vel paruisiam, vel meam voluntatē obstinatam perficere nequeam. Ab his quæso tu, ô sponse sanguinum me libera, & quando cor meum tantopere grauatur aliquibus extraneis vel intraneis rebus tibi ingratis, da vt me ipsum relinquam, & ad te me conuertam; ac difficultatem, quam interdum naturaliter experior, in te traham, & hā tuam diram passionē amplectar, meam multam ingratitudinem considerem

atqu

atque ita defleam mea peccata innumera,& ex animi gratitudine effundam lacrymas pro incredibili amore tuo erga me miserrimum peccatorem, vt sic fructum lacrymarum percipiam, & tuo exemplo humilior atque magis patiens efficiar, accipiens cuncta (vndecumque etiam, foris an intus mihi perueniãt) de manu tua, quò semper in meipso tranquillus inueniar, & te Saluatoré meum sine intermissione laudem atque glorificem, nunc & in perpetuum. Amen.

Quinta MEDITATIO, *de ascensu* DOMINI *in montem Caluariæ.*

PARS PRIMA.

DVcebantur & alij duo nequam tecum, vt interficerentur. O amantissime Domine, vbi honor, vbi virtus tua, quando tamquam impius & peccator cum malefactoribus duceteris? Meritò cogitem & dicam te meam assumpsisse personam, alioquin impossibile fuisset te tanto dedecore affici. Ego enim, ego ipse sum, qui hac contumelia dignus eram. Pec-

cata namq; mea promeruerant in conspectu Patris cæleſtis. Nec ſolùm cum malignis hominibus terræ, ſed & cum tartareis ſpiritibus numerandus eram. Verùm tu Filius Dei viui ipſa iuſtitia & virtus, in cuius ore dolus inuentus nõ eſt, in te ſumpſiſti omnium noſtrûm iniquitates. Vt igitur me eriperes de conſortio malignorum ſpirituum, tu ipſa iuſtitia inter malefactores terræ numerari voluiſti. Hæc in animo meo verſentur, Domine, quoties parui fio in terris, & præter meritum maledicor & contemnor. Non enim aliter cum ſponſa quàm cum ſponſo agendum erit. Si te tanta contumelia affecerunt, non mihi parcent. Et parum eſt ſi vnà tecum hoc modo patiar, cùm tu innocens tantum pro me paſſus es. Verùm ego ſi propter te contemnar, hoc vel duplo promerui. O igitur miſericordiſſime Domine, da tuo exemplo omnia perferam, non æſtimem meipſum, qui ſum ad inſtar vermiculi ſuper terram reptitantis, qui tam facilè à te conſumi poſſum, atque ille pedibus conculcatur. Da mihi veram humilitatẽ ad cognoſcen-

dum

dum meipſum, quò inter homines tamquam minimum me reputem. Amen.

PARS SECVNDA.

ET perduxerunt te in Golgatha locum, quod eſt interpretatum Caluariæ locus; vbi omnes malefici, latrones, homicidæ, & malignantes, pro quantitate criminis, morte plectebantur. Non erat ſatis Iudæis malignis, quòd te in via inter latrones numeraſſent, quin etiam locum paſſionis cum illis communem habere deberes, ne quidquam eorum quæ peccata noſtra promeruerant, in te negligeretur. Et hęc omnia tibi Pater cæleſtis impoſuit, vt quàm perfectiſſimè pro peccatis noſtris ſatisfaceres; & nos criminum grauitatem, pro qua te vnicum ſuum Filium adeò percuſſit, intelligentes, ſemper nos ipſos gratos pro tanta charitate, per te nobis præſtita, exhiberemus; & à peccato deinceps abſtinentes, libenter ex charitate pro te viciſſim pateremur. Propterea, chariſſime Domine, Saluator meus, da gratiam, quò in omnibus actionibus meis prudens, à peccato mihi caueam, aſſiduè paratus ad perferen-

dum pro tuo sanctissimo nomine, quicquid etiam mihi eueniat, vt sic charitatem pro charitate, secundùm fragilitatem meam, rependam. Fac insuper prudens sim, ad discernendum inter tentationem & peccatum, ne per ignorantiam contrister, quando in spiritu mihi gaudendum fuerit. Verùm doleam ex toto corde, si quandoque in tentationem inductus, peccato assensum (quod tu auertas) præbuero. Gaudium autem mihi sit, cùm iam tentatio, cui occasionem non dedi, transierit, certus, quòd illa in coronæ ornatum maiorem mihi fuerit. Huius indigeo, Domine mi, tu scis. Da igitur gratiam, ne pusillo corde existens, virtutibus aut bonis operibus obstaculum ponam.

PARS TERTIA.

VErùm, ô sponse, quàm asperam viam aggressus es, cùm montem Caluariæ altum ac prominentem ascenderes! Hactenus quidem subsidium tale quale habuisti à Simone, qui parum te subleuabat à tergo: verùm nunc grauissimo crucis onere suscepto, solus montem ascendisti, vt teipsum eorum

om

omnium, quæ iam perpeſſus fueras, & etiamnum perferẽda erant, admoneres. O quàm fuit hic miſerabilis & ſanguineus inceſſus! Mõs erat pronus & altus, crux erat ponderoſa & magna, & tu coronâ ſpineâ grauatus, totus defatigatus & exhauſtus, vt vix pedẽ mouere liberet; & his non obſtantibus, pro me hanc diram & inexplicabilem viam, nonaginta cruenta veſtigia faciens, ingreſſus es. O quantus dolor tibi fuit, dum tuum ipſius pretioſum ſanguinem pedibus calcares! Certè non minùs hoc te afflixit, quàm ſi proprium cor pedibus contriuiſſes. Super omnia autem exagitauit te, quòd pretioſus ſanguis ab indignis Iudæis ſit conculcatus, qui meritò illum recollegiſſent, ne vel vna gutta interiiſſet, ſed in balneum pro ablutione criminum ſibi aſſeruaſſent. Et quare, mi ſponſe, hanc viam tot doloribus plenam aggreſſus es? Vt nobis in omnibus neceſſitatibus aſſiſteres, ſolatium & auxilium præſtares, quò faciliùs omnem tribulationem & dolorem vinceremus. Propterea, ô Deus, firmamentum meum & refugium, virtus & forti-

titudo, adesto mihi in omni tentatione & angustia, in omni miseria & tristitia, præcipuè in hora mortis meæ, quando hic mons Caluariæ mihi scandẽdus fuerit, quando ex anxietate & dolore oculi mei caligine obducentur, os meũ loquela destituetur, sensus mei defecerint, & omnis vis à me recesserit, venæ & arteriæ tabescere cœperint, & cor meũ intra me rumpendum fuerit: tunc dignare me consolari, & confortare in vera fide, spe firma, & charitate perfecta: quibus ita stabiliar, ne vlla tentatione, si quæ superuenerit, vincar; sed in omni patientia & longanimitate, denarium à te nobis promissum, hoc est vitam æternam, expectem. Hoc operare in me, Domine, ne tua sacrosancta & amara passio in me, aut vllo homine, fructu suo destituatur: sed omnes, quod in monte Caluariæ nobis promeruisti, hoc est regnum cælorum, consequamur. Amen.

PARS QVARTA.

CVm iam tu Dominus meus & Deus meus maximo labore crucis pondus in supremitatem mõtis deportasses, in tantum es defatigatus, vt sub

crucis

crucis onere in terram ſis proſtratus. Quod mirum non erat. Quare timentes, ne ſub crucis onere animam efflares, totis viribus occurrerunt, vt te ex illo periculo eriperent: non ex commiſerationis affectu, ſed ex mera malitia, vt videlicet propoſitum ad te crucifigendum, adimplerent. Cùm autem ad hoc veniſſes, Pater te ad extremam paſſionem perferendam confortauit, & conſeruauit. Nam multa poteſt homo pati, dum tibi ita placuerit. Ex hoc ſiquidem virtus tua diuina ſæpè innoteſcit, & in multis manifeſtata eſt Sãctis, qui tantas & tam multas tribulationes perpeſſi, vt humana natura iis ferendis par eſſe minimè potuiſſet. Sed gratia tua ſuper omnia confortát. Quare, benigniſſime Domine, conforta me in omni afflictione, quam ab æterno ſuper me inducere decreuiſti, ne vmquam deſpondeam animum, ſed in omni tribulatione mea ad hoſce tuos dolores reſpiciam immaniſſimos, quos confortatus, ex charitate tam libenter pro me perpeſſus es. Imò cùm iam naturalibus exhauſtus viribus ſub crucis onere pro-

ſtratus iaceres, cum magna tyrannide te parum eleuatum à terra ad lapidem eminentiorem, veſtibus exuerunt. Verùm, ô quanta cum afflictione hoc peregerunt! Veſtimenta tuis infinitis vulneribus adhæſerant, quæ iam renouata nouum tibi dolorem per vulnerum ruptionem attulerunt; vt hæc tua denudatio, omnium præcedentium dolorum fuerit innouatio. Et hæc omnia ſumma cum patientia toleraſti propter me; vt etiam ad noſtra peccata reſpiciens, de nullo dolore conquerereris. Sit igitur hæc veſtimentorum detractio, & dolorum tuorum omnium renouatio, mihi in interiori homine admonitio, vt veteri homine depoſito, induam nouum qui ſecundùm te creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Non enim potero vmquam virtutibus exornari, niſi primùm vitiis renuntiauero. Quando igitur mihi moleſtum fuerit vincere meipſum, humilitati ſtudere cùm ſuperbus ſim, obedientiam præſtare cùm arbitrium meum ſequi malim, patientiam habere cùm vindictam appetam, manſuetudini locum dare cùm auſteri-

tate quadam loqui desiderem, tunc fac me reminisci huius tuæ tam inauditæ passionis, quam pertulisti, dum vestes tibi tam sanguinolenter detraherentur, vt hac consideratione, auxilium & solatium ad meipsum vincendum, impetrem. Non enim habeo hostem maiorem quàm meipsum, vt si quando meipsum vicero, reliquos facilè superauerim. Eia ergo Domine, adesto mihi, cõsolare, & conforta me, vt in omni mea miseria tecum sim, quò hîc viuens in gratia, posteà tecum sine fine viuam in gloria. Amen.

FERIA SEXTA.

Prima MEDITATIO, *quomodo vinum cum felle mixtum,* DOMINVS *noster gustauerit.*

PARS PRIMA.



VBI iam misericordissime Domine cum tanto dolore vestibus te exuissent, nudum, corona spinea grauatum, per totum benedictũ corpus dilaniatum, ac vulneribus plenum, lapidi insidere fe-

cerunt; vbi tremens & pauens, vento ac frigoribus te penetrantibus, quieuisti, vsq. dum ipsi crucem paratam haberẽt. O Dñe, quid malitia hominum non excogitauit? quam afflictionem ante mortem non es expertus? Imò ne vlla anima periret, diutiùs & ampliora perferre paratus eras. Sed hæc omnia perpessus es ex immensa erga me charitate, vt meritò confundar in meipso, si quando de miseria mea conquerar. Quid enim ego, respectu tuæ diuinæ bonitatis? vermiculus terræ, Deo omnipotenti comparatus? puluis & cinis, diuinę Maiestati? peccator, ipsi Iustitiæ? Præterea, dum ego patior, pro peccatis meis propriis patior; tu verò nihil mali feceras, & passus es pro me, vt à perpetuo exitio, quod delictis promerueram, me eriperes. Eia Domine, largire, vt in spiritu quotidie, lapidi frigidissimo nudum cum tremore & pauore te insidentem intuear, ac ita tibi compatiens à perpetuo tremore ac dentium stridore pręseruer. Porrò Domine, dignare me consolari in omni angustia & afflictione spiritus, quæ interiùs exteriúsve in terris

me

me inuenire possit, quò in omni infirmitate, miseria & tristitia per hũc tuum tremorem & pauorem solatium percipere merear. Præcipuè autem cùm intrinsecus desolatus à maligno spiritu premor & angor, quasi non esset mihi in te Deo meo salus, & in tantas angustias redigor, ac si viuus ad inferos pertraherer; tunc mihi in mentem veniat hic tuus timor & tremor, quò meipsum & omnes inimicos meos vincam, ac tecum in omnibus tribulationibus meis perseuerem, sicuti tu in omnibus angustiis tuis mecum permansisti. Amen.

PARS SECVNDA.

CVm autem sederes in hac miseria, dederunt tibi bibere acetum, seu vinum myrrhatum cum felle mixtum. O quàm durus fuit tibi populus tuus! Tradiderant obliuioni verba Salomonis, dicentis (*Prouerb.* 31.) Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo. Vbi iam illorum naturalis sensus & affectio humana, cùm tibi Domino Deo meo, in tanta miseria cõstituto, tam acerbo poculo obuiarent? Profectò peccata mea hunc populum

indurauerant, vt tibi fuerint tam amari: peccata namque sunt adinstar aceti & fellis ori tuo benedicto: alioquin fuisset impossibile, quòd tibi Domino cæli & terræ tam duri, acerbi, & immanes fuissent. Numquid aliàs poculum aquę frigidæ, quod bestiis terrę non denegatur, dedissent? Imò sanè. Hinc cognoscimus, quòd nos propter peccata magis odibiles corã oculis Patris cælestis fuerimus, quàm pecora campi. Verùm cùm nos diligeret, te vnicum Filium suum pro peccatis nostris tam dirè percussit, vt nos iterùm in gratiam reciperet. Eia igitur Dominus meus & Deus meus, da naturalem affectum & intellectum rationabilem, ne ampliùs tibi propinem acetum felle mixtum, sed potum purum & putum, tibi semper gratum; ne propter me toties contristatus, iam propter peccata & cõtumelias meas ampliùs affligaris, sed potiùs cordis mei sinceritate ac puritate, quantum in me est, exhilareris. Da etiam horum reminiscar, quoties ex voluptate appetitus cibi aut potus præter necessitatem obrepit, ac tunc omni sensualitati ac vo-

luptati

luptati planè moriar. Præcipuè verò, vbi à te visitatus in morbum incidero, & gustus cum appetitu transierit, & omnia mihi cibaria amara visa fuerint, tunc consolare me per hoc vinum myrrhatum aceto mixtum, quod tibi in maxima afflictione propinatum accepisti; quò tibi gratias agam, quòd me dignū duxeris, vt tecum in tribulatione inueniar. Da insuper, ne vllo cibo aut potu meipsum oblectare studeam, sed cogitem mihi satis esse, si corpus hoc fœtidum, ad gratum tibi obsequium præstandum, sustentetur.

PARS TERTIA.

ET cùm gustasses vinum myrrhatum, noluisti bibere. O benignissime Domine, absque dubio ita eras exhaustus, vt cor tuum infirmatum benè confortasses, cùm vix guttam sanguinis reliquam tibi fecisses! Verùm peccatis nostris diuinę iustitiæ reluctātibus, voluisti tantùm gustare acetum felle mixtum, & non bibere, licet sitim facilè sedasset. Non enim quærebas solatium in passione, sed opus perfectum vigore diuinæ iustitiæ, cui per omnia satisfieri

opor-

oportebat. Cùm ergo amantissime Domine ego in profundum tentationis descendero, memento huius extremæ iustitiæ in te peractæ, vt parumper mihi miserrimo peccatori condescendas, & in mea maxima fragilitate æstum tentationis nonnihil diminuas, & dulcedine diuinæ gratiæ mitiges, ne totus derelictus in foueam tentationis incidam, aut à te fonte misericordiarum recedam, & peream.

PARS QVARTA.

POsteaquam poculum aceto & felle mixtum gustasti, noluisti bibere. Non enim tibi placet opus nisi ex charitatis dulcedine promanet. Offero tibi opus peractum solo naturæ ductu, mixtum prauo affectu, irâ aut odio? gustas; id est, respicis quidem à longè, sed non imbibis, hoc est non acceptas, quia non delectat te, sed est ori tuo sicut vinum myrrhatum, aut acetum felle mixtum. O igitur omnipotens sempiterne Deus, da mihi cor purum & sincerum, quod aqua diuinæ charitatis impletum, tibi sit acceptum. Longè sit ab eo omnis impatientia & amaritudo, omnis ira &

odium,

odium, omnis sensualitas & appetitus prauus, vt cor adimpletum optimo perfectę charitatis vino, tibi semper ex pura intétione placeat; quò in omnibus & singulis aliud non quæram nisi gloriam sanctissimi nominis tui, proximi felicem successum, & animæ meæ salutem. Sed si tunc mihi vnà tecum acetum felle mixtum proponitur per afflictionem & miseriam, quæ me fortè inueniat; túc etiam vnà tecum, hoc de manu Patris cælestis accipiam. Et si illud gustauero, ne quæso imbibam, sed à me repellam, ne nimiùm contrister, sed cor meum ęquè tranquillum, in tua benedicta passione solatium reperiens, seruem. Sit mihi satis gustasse, hoc est animaduertere dolores mihi esse paratos, & statim eos à me vel silendo, vel cedendo, vel bona verba dando repellam, ne corde imbibam, quod posteà mihi cum maiori afflictione eructet. Prætereà Domine clemens & pie adiuua me, da intellectum & prudentiam, hæc tam fideliter exequendi, vt tecum sim, & maneam, hîc in gratia, & posteà in gloria. Amen.

Secun-

Secunda MEDITATIO, *quomodo voluntariè* DOMINVS *ad crucē ſubeundam ſeſe reſignarit.*

PARS PRIMA.

CRuce iam parata, cum impetu in eam te coniecerunt, vt omnia oſſa tua commouerentur. O vere Iſaac fili promiſſionis, in quo vniuerſæ gentium benedicendæ ſunt familiæ, quomodo Patri obtemperando, humiliter te ſub ſtruem componis lignorum, teque in holocauſtum præbens, ad mortem ſuſferendam ſubſternis? Non auditur clamor, non contradictionis vox, neq. excuſationis indicium, ſed Prophetæ vaticinium impletur (*Iſa.* 53.) Tamquam ouis ad occiſionem ducetur, & tamquam agnus coram tondente ſe obmuteſcet, non aperiens os ſuum. O Domine, quis eſt homo, qui pro ſibi amiciſſimo ad tam diram paſſionem, & mortem probroſam ſeſe tradiderit? Et tu hoc feciſti non pro amicis, ſed inimicis. Si hæc beneficia mihi inimico præſtitiſti, quid mihi iam amico denegabis?

bis? Cùm me tamquam ſponſam, ſponſus in balneo pretioſi ſanguinis tui laueris; quomodo me peccatorem maximum illa capiet dementia, vt de tua inexplicabili bonitate diffidam, aut me abs te derelictum mihi perſuadeam? Qui ſolicitus pro me fuiſti cùm nondum eſſem, & cùm perditus eſſem, pro me in mortem te dediſti, derelinques me nunc tot moleſtiis ac laboribus inuentum, & pretioſo tuo ſanguine redemptum? Eia Domine, da vt corde hæc quotidie expendam, ac in natura mea ita ſentiam, ne vmquam deſpondeam animum, quantocumque etiam mœrore affligar. Sed miſeriam meam cum tua amara paſſione miſceam: & ſicut ſimplex potio, accedente nectare & ambroſia fit nobilis & præclara; ita tua benedicta paſſio meam multiplicem miſeriam vincat, ſuauem & facilem reddat, ac patientia meritoriam; vt cùm libenter patior, in gratiarum actionem pro tua amara paſſione, in omni mea afflictione ſolatium inueniam, ac impetrem hîc gratiam, & poſteà gloriã ſempiternam, quam tua acerbiſſima paſſione

ne & morte nobis promeruisti. Tu namque in omnibus nos tibi assimilari voluisti. Volumus ergo post hanc vitam tecum glorificari? necessarium est, vt in pręsenti vita tecum patiamur. Hoc quæso Dñe tu ipse operare, & supple per te, quod desideratur in me. Amen.

PARS SECVNDA.

NVnc autem super crucis patibulum proiectus, vt veluti intrepidus propugnator voluntarium tuum esse sacrificium demonstrares, dexterũ ministris iniquitatis exhibuisti brachium; quod illi sine cunctatione apprehendentes, toto conamine dilaniata potiùs quã perforata manu, clauo presserunt in ligno. O quanta cum afflictione & dolore hoc peractum est! Clauus erat magnus & stupidus, ac benedictæ venæ & nerui erant teneri & viscosi, vt clauus benedictam manum tuam penetrare non valeret: quocircà benedictam pellem & cutem tuam, sanctissimos neruos & venas, secum traxit in crucis foramẽ! O quis satis superque hos tuos inexplicabiles dolores expendet! In hoc tuo benedicto vulnere bone

Iesu

Iesu recipe abscondendas, & in nihilum redigendas omnes meas ignorantias, ex magna imprudentia prouenientes, dum cogitationibus, verbis & factis meis non intendo, & ex nimia imprudentia in cogitatu meo inquietor; & neglectis piis ac salutaribus, accepto multas sæpè inutiles cogitationes, quæ commodi nihil mihi adferunt: quando deinceps ex magna inconsideratione sæpè loquor non interrogatus, & respondens ad ea quæ video & audio, meipsum in intellectu sæpè turbo, & multis quandoque molestus sum, præbens eis occasionem impatientiæ & contentionis, ac meipsum implico multis difficultatibus, vt sæpè pusillanimis & inquietus efficiar: quando denique improuidus sum in meis operibus, & inpræmeditatè ago, quorum posteà vehementer pœnitet, ac ita affligor, vt vix boni aliquid facere queam: hasce inquam omnes meas improuidentias repono Domine in sanctissimo vulnere benedictæ manus dexteræ, & peto adornari rationali quadam ac diuina prudentia, qua in omnibus meis cogitationibus,

nibus, dictis & factis prouidus sim, nec vmquam attentem, loquar, aut proponam nisi ex bono consilio, & animo præmeditato, vt totum quod assumpsero tibi sit gratum, & mihi meritorium: atque ita in vera tecum vnione tranquillus permaneam, quò semper idoneus inueniar ad benedicendum & laudandum te in omnibus, quæ mihi accidant: & tibi sint deliciæ in me secundùm diuinum beneplacitum, in solatium & salutem animæ meæ, quæ sæpè supra modum tristatur, vt etiam mœrorem mœrori coniungat; sed per hunc tuum intolerabilem mœrorem, proprium obliuioni tradam. Amen.

PARS TERTIA.

DEinde ad benedictam manum tuam sinistram, crucifigendam sese accinxerunt. Verùm cùm foramina inconsideratè citra mensuram benedicti corporis tui facta essent, & tam remota, vt nullo modo extendens teipsum ad illa pertingere posses, restibus & aliis instrumentis benedictos humeros tuos extraxerunt, donec ad illa peruenirēt. O quid benedicta manus dex-

tera tua tunc pati habuit, quomodo sacrosancta caro tua & pellis, venæ ac nerui distenti sunt, cùm iam tenerrima membra è suis iũcturis deiicerentur, ac nerui & venæ rumperentur? Sed cùm iam tanta crudelitate benedictam manum sinistram extendissent, eam clauo duro ac crasso cruci confixerunt. Cùm verò clauus manum penetrare non posset, benedictas venas & neruos, sanctam cutem & pellem in crucis foramen secum traxit. Et quantum hinc in benedictis brachiis, cruribus & capite dolorem senseris, nec lingua eloqui, nec mens humana cogitare potest. Tu vtraque manu clauis iam confixus, supra crucem iacuisti tamquam arcus resticula constrictus. In hoc vulnere benedictę manus tuę sinistrę sana quæso Domine vulnus malitiæ meæ, per quam ab ordine rationis deflexi, vt nec tibi nec proximo, nec mihi ipsi tribuerim quod iustitia postulabat. Hinc sæpiùs pusillanimis fio, non cõfidens tuæ infinitæ bonitati: hinc facilè excandesco proximo, cui charitatem debeo: imò hinc contristo sæpiùs meipsum, & ob-

stacu-

ſtaculum pono virtutibus ac bonis operibus, ad quæ meipſum inflammare debebam. Sana igitur Domine per hoc ſanctum vulnus ſiniſtræ manus tuæ, vulnus malitiæ meæ, & conforta me ſecundùm voluntatem in vera virtute iuſtitiæ, qua vnicuique ſuum tribuam, tibi Domine Deo meo honorem & timorem, ſuperioribus obediētiam, proximo meo charitatem, & mihi ipſi correctionem & diſciplinam; quò voluntas mea per peccatū infirmata, per tuam diuinam miſericordiam & gratiam in integrum reſtituatur. Amen.

PARS QVARTA.

BEnedictis manibus tuis Domine ita in cruce expanſis, receperunt ſeſe ad benedictos pedes longè remotos à foramine in inferiori crucis parte facto. Quare iterùm in longitudinē crucis cum magno labore benedicta membra tua diſtraxerunt, donec ſacri pedes ad foramen pertingerent, atq. ita ſummis doloribus eò pertractos cruci confixerunt, alterum alterū ſupponentes. vbi craſſus & deformis clauus benedictas venas & neruos, ſe mutuo pene-

trantes, sacrosanctam pellem & cutem secum in foramen crucis protraxit, vt ex aspectu natura nostra facilè obstupuisset. O si hoc tam feruenter expenderem, ac si præsens oculis vidissem, certè in corde meo sentirem, quid tu spõsus sanguinum mihi factus, pro me pertuleris. Eia Dominus meus & Deus meus, per hoc vulnus dextri pedis tui, sana vulnus infirmitatis meæ,& potentiæ meæ irascibili virtutem fortitudinis restitue. Nam vulnus infirmitatis meæ, quo in ira vulneratus sum, multùm me affligit,& me ad omne malum propensum facit, vt vnico verbo vel minima iniuria prosternar, & omnis peccati & malitiæ species sese in me aperiat, quò sæpissimè à virtute & bonis operibus natura mea abhorret,vt minùs mentem meam, ad influxum tuæ diuinæ gratiæ recipiẽdum, in te eleuare queam. Sana, rogo,hoc vulnus in me,& restitue mihi virtutem ac donum fortitudinis, quò ira rectè vtar: & resistam omnibus fragilitatibus, ne vmquam ab ea vincar; sed omnia benigno intuitu transiens, iniuriam mihi illatam patienter feram,

& cunctis diligentia quadam occurram, sine turbatione meiipsius, ad castigandam omnem iniustitiam, & veram iustitiam promouendam.

Da etiam animi modestiam, qua omnem tentationem, melancholiam, ac pusillanimitatem missam faciam, & in omnibus bonis operibus intrepidus progrediar; vt quotidie meipsum exercendo, felicem successum habeam in virtutibus, ad maiorem fructum perfectionis indies faciendum.

Verùm per sacrum vulnus sinistri pedis sanare quæso dignare vulnus prauæ concupiscentiæ, qua citra mensuram solicitus sum de necessariis tam in cibo & potu quàm vestimentis, quæ tandem plus incommodi quàm commodi adferunt, quando influxum tuæ diuinæ gratiæ in me impediunt. Nam ad corpus solummodò conseruandum, cibum, potum, & vestimenta appetere debebam, quò animæ prouideretur ad benedicendum & laudandum nomen sanctum tuum die ac nocte, manè & vesperi. Iam verò sæpissimè obueniunt mihi obstacula tanta, vt me in tui obli-

uio-

uionem sæpè deducant. Da igitur mihi virtutem temperantiæ in omnibus appetendis, quò necessitati seruiens ad tuum semper obsequium sim paratus. Verùm Domine, sicut dexter pes super sinistrum cruci confixus est: ita largire vt potissimùm animæ prospiciam, ac posteà corpori; vt anima primatum tenens secundùm intellectum, sensualitatem sibi subiiciat, & spiritus carnem: quò semper magis anima quàm corpore tibi placere studeam, & corpus imperio animæ obediat, quò tua bonitas vtroque perfruatur sine fine, hìc & in perpetuum. Amen.

Tertia MEDITATIO, *de Exaltatione* DOMINI *in cruce.*

PARS PRIMA.

HIc iam, amantissime Domine, iacuisti super lignum crucis tamquã arcus intensus, atque ita membris distractus, vt ne vnum quidem suum obtineret locum, & à capite vsque ad calcem non esset in te sanitas, vt mirum foret vitam tibi adhuc

superesse. Sed diuinitas tua ad maiora perferenda tormenta, quoad placebat, te confortauit. Et præter infinita vulnera, quæ in capite ac toto corpore circumferebas, quatuor adhuc per grandes istos clauos tibi inflicta sunt, quæ ex diametro per totũ benedictum corpus omnes neruos & venas penetrabant, & cùm à corde sese diffunderent, ad capitis, manuum, ac pedum vsq; extremitates ex aduerso tamquam acus circa cor conueniebant, vt ei mortem inferrent. Verùm, ô Domine, quàm longa & tarda, dira ac dolorosa fuit hęc mors, cùm hæc vulnera acceperis, in illis locis, vbi nerui & venæ abundant, & tactus maximè viget. Cùm autem super omnes homines, tenerrimos neruos & venas haberes, & sensum subtilissimum, etiam super omnes homines tormenta sensisti grauissima. Per hos igitur intolerabiles dolores tuos, da vt oderim omnes huius sæculi delicias & voluptates. Per vulnus sacri pedis tui sinistri, sana quæso vulnus concupiscentiæ meæ: da mihi ad eam refrenandam, virtutem temperantiæ, ne quid-

quam carni gratum appetam, nisi ratione suadente. In Baptismo quidem hæc vulnera in me sanasti, in quantum primum peccatum ea mihi inflixerat: sed ex quo cicatrices in me reliquerunt, sæpiùs adhuc excitant nouum motum; qui, si ratio non vigilauerit, indies vehementior efficitur, vt facilè peccatum adducat. Rogo ergo qua possum humilitate maxima, vt per hæc tua benedicta vulnera me præserues, ne vlli peccato assentiar; ne per minutissima queq. peccata, hæc vulnera in me reuiuiscant; &, quod tua diuina pietas mihi reliquit in exercitium, ego nõ in mortem rapiam: aliàs in multis meis negotiis sæpè ratio negligeretur circa id quod verum est, volútas mea in malo obduraretur contra bonum, & concupiscentia circa delectabile magis ac magis exardesceret. Ab his, ô Pater misericordiarum, per tua sanctissima vulnera me præserua, & da intellectui meo prudentiam, voluntati iustitiam, fortitudinem competentem iræ, & temperantiam concupiscentiæ, vt tecum sim & maneam in perpetuum. Amen.

PARS SECVNDA.

IAm autem te mundi auctore confixo in ſtipite, milites aliquantiſper quieuerũt, quatenus reſumptis viribus crucis vexillum erigerent, & tu mediator omnium vniuerſo populo viſibilis appareres. O Domine, quàm miſerè hìc ſuper crucem tribus clauis confixus iacuiſti, per totum benedictum corpus dilaniatus, vt ne membrum quidem ſuum locum occuparet. Hæc ita pati voluiſti pro me, qui in omnibus membris meis peccaueram, vt perfectè ſolueres quæ ego debebam. Da igitur gratiam, vt ad terram reſpiciens, memor ſim tuæ diræ paſſionis; quia tu cruci confixus iacuiſti in terra, quæ maledicta propter peccata, nunc per diram paſſionem tuam benedictionem recepit. Verùm ſicuti in principio voluptate eam contaminaueramus: ita nunc tuo exemplo per patientiam & longanimitatem viciſſim benedici eamdem oportebat, vt ſic nos in terris pœnitentiam agamus, quò poſt huius ſæculi ærumnas, per tuam benedictam paſſionem terram viuentium impetremus.

Ad hoc nos adiuua, ad hoc nos conforta bone Deus, in omni labore & miseria nostra, ne meritum amaræ passionis tuæ in nobis suum vigorē perdat. Amē.

PARS TERTIA.

MIlites iam resumptis viribus crucis vexillum in aëra leuarunt, tāquam signum victoriæ nostræ, omnibus terræ incolis manifestandum. Ex quo assiduè considerandum, quàm pretioso thesauro, videlicet, non corruptibilibus auro aut argento, sed pretioso sanguine tuo, qui es Agnus immaculatus, redempti simus. Sed quanto dolore hoc peractum est! Foueam fecerant in terra, & in eam summa vi crucē erectam coniiciebant constabilientes eam, vt per erectionem illam crucis, totū benedictum corpus tuum tribus clauis firmatum graui motu ac tremore concuteretur, & omnia benedicta vulnera manuum ac pedum renouarentur, ac cuncti nerui & venæ rumperentur, & pretiosus sanguis tuus intra pellem & cutem sacrarum manuum & pedum hærens erumperet, & tamquam fons scaturiens in terram proflueret, & caput tuum bene-

dictum corona ſpinea coronatum, à tergo ad crucem elideretur, adeò, vt ſine diuinitatis confortatione in viuis manere non potuiſſes. Quis, ô Domine, hanc tuam benedictam paſſionem ſatis ſuperq́ue poteſt expendere? Mille modis hominum mentem ſuperat, ſileo quòd quis eamdem ſuſtineret. Si non eſt mihi poſſibile te in paſſione tanta imitari, da ſaltē corde quotidie in meis miſeriis eiuſdem memor ſim, vt ſic quodammodò gratus, meiipſius doloris obliuiſcar. Nullus enim dolor reſpectu doloris tui ęſtimandus. Da ergo Domine gratiam, vt tota anima mea & corpus, omnes vires cum ſenſibus interioribus & exterioribus ſentiant & conſiderent tuam diram paſſionem, vt ſic poſtponam omnem ſuperbiam, & propriam complacentiam, quò ſim quaſi viuens mortuus, & nec aduerſitatem nec dolorem mihi illatum ſentiam.

Eleuatus iam in cruce, ſuſpenſus es medius inter duos latrones. Nam iuxta menſuram peccatorum noſtrorum paſſio tibi parata fuit. Nos grauiſſimè peccaueramus, & tu ipſa Iuſtitia in noſtra

per-

persona tamquam latronum dux haberis. Quomodo in corde meo locum superbiæ dare possum, cùm per ipsam me tam ignobilem reddiderim, & tu Dominus meus & Deus meus hîc pro me inter latrones numereris. Ne quęso Domine, mihi vmquam dominetur superbia, qua mihi persuadeam, quòd hoc aut illud malum ab illo aut isto mihi inferri non deberet, cùm tu creator omnium tãtam contumeliam pro me pertuleris. Tu hæc innocens passus es, & tantùm pro me; at ego si quid patiar, summo iure patior. Da ergo humilitatem & patientiam, vt per tuam benedictam passionem omnes meas afflictiones vincam. Amen.

PARS QVARTA.

HIc iam, amantissime Iesu, in stipite eleuatus, pependisti in äëre, vt vbique locorum, etiam in aëre propugnator noster esses, vt aërem sanctificando munires contra venenum satanæ, qui circumuolitat in eo, vt nos suo veneno inficiat. Da igitur, quotidie per veram fidem & perfectam conuersationem ad te respiciam, qui propter me

in aëra eleuatus in crucis patibulo pependisti, vt per hoc præseruer ab omni infectione diaboli; qui die ac nocte tãquam leo rugiens circuit, quærẽs quem deuoret, hunc per superbiam, illum per desperationem, & alium per alias inordinatas ac tetricas vexationes, quas humana mens vix eloqui potest. Ab his inquam me libera, vt imperterritus, ac impolluto calle hoc mũdi pelagus trãsseam, quò tibi placeam in perpetuum.

Pependisti etiam expansis manibus vt nos omnes attraheres, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: quasi paratus ad nos inter benedicta brachia tua amplexandos, & cordi tuo paterno imprimendos. Experiar hoc quæso Domine, & recipe me, quando magnis laboribus & tentationibus obrutus sum, quasi tu manum diuini auxilij subtraxisses, & pro filio non agnosceres; tunc quęso inter sanctissima brachia tua recipe me, & cordi tuo paterno imprime, vt fide, spe, & charitate firmatus, verum filialem affectum præ mę feram. Si quando sarcina peccatorum oneratus fuero, per

veram

veram pœnitentiam inter benedicta brachia tua me amplectere, & sicut filium prodigum paterno amore suscipe, ne præ multitudine peccatorũ meorum in foueam desperationis incidam: sed animum mihi augeat tua amara passio, quã pro nobis miseris peccatoribus tam piè pertulisti; eaque corroboratus confidam, quòd tu me paternè recipies, ac benedicto cordi tuo includes, vbi nec mors, nec diabolus me inueniat. Hoc modo pie Dñe in omni miseria & tristitia me consolare, ad me reficiendum & confirmandum in perpetuum. Amen.

Quarta MEDITATIO, *de tituli inscriptione, & vestimentorum diuisione.*

PARS PRIMA.

O Fortitudo Dei abscondita, hominẽ in cruce pendentem, ęternam suspendere mortem genus humanum prementem! hominem ligno confixum, diffigere mundum perpetuæ morti affixum! O celata potestas, hominem damnatum cum latro-

nibus, homines ſoluere damnatos cum dæmonibus! hominem in patibulo extenſum, omnia trahentem ad ſeipſum! O virtus occulta; vnam animam emiſſam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno! hominem mortẽ corporis ſuſcipere, & animarum mortem perimere! Hæc tu Domine Deus diuina omnipotentia operatus es, & inimici tui non intellexerunt. Ipſi hoſtili animo te morti tradiderunt, qui illis charitatis dona infinita exhibuiſti, vt meritò dicas: Populus meus quid feci tibi? aut in quo contriſtaui te? reſponde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, paraſti crucẽ Saluatori tuo? Quia eduxi te per deſertum quadraginta annis, & manna cibaui te, & introduxi te in terram ſatis bonam, paraſti crucẽ Saluatori tuo? Quid vltrà debui facere tibi, & non feci? Ego quidẽ plantaui te vineam meam ſpecioſam, & tu facta es mihi nimis amara; aceto namq. ſitim meam ſedaſti, & lancea perforaſti latus Saluatori tuo. Si hæc mala tibi ô Dñe illata à populo tuo electo; quid ego conqueror, ſi ab amicis meis iniuriam patiar? Si propter

pter me, & salutem meam, hæc perpessus es; quid indignum ducere volo, si ab amico meo quid patiar propter te? Eia Domine, da vt tuo exemplo in omni afflictione mea ad Patrem tuum cælestem, qui omnia de me ita ordinauit, respiciam, & nõ ad hominem quantumcumque etiam propinquum. Quò enim à magis propinquis patiar, eò magis laudandus ero. Nam tunc certus sum quòd à te mihi proueniat, quando à meis pro dilectione odium sentio. Da igitur Domine, vt tecum vnum sim; & nulla me anget miseria, sed tecum contentus ero, hîc & in perpetuum. Amen.

PARS SECVNDA.

SCripsit autem Pilatus titulum, seu superscriptionem tamquam causam mortis tuæ, & posuit super crucem ad caput. Erat autem scriptum: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Hunc titulum ex Spiritus sancti inspiratione scripsit Pilatus, & simul tuam Maiestatem, & nostram salutem comprehendit. Nominat enim te proprio nomine, quod habuisti ab æterno, & per sanctum Angelum nobis innotuit,

cùm diceret ad Mariam & Ioſeph: Vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Verè Saluator, qui pro populo tuo hanc turpiſſimam mortem pati dignatus es, qua, peccato ſublato, diabolum proſtrauiſti, & limbum Patrum deſtruxiſti. Nominat etiam te Nazarenum: nam verè Nazarenus eras, hoc eſt totus virens & florens, & ſemper fructum proferens & numquam areſcens; quem videlicet, nullus dolor, nulla contumelia, nulla tormenta opprimere potuerunt: quod ipſum etiam operaris in omnibus electis, vt videlicet ſemper floreant & vireſcant: & licet interdum premantur, tamen reſumunt vires recreati ſuauiſſimo odore tuo, qui es flos ſuper omnia florens, ac renouans totum quod eſt in cælo & in terra, & ſubtus terram. Quare (*Cant.* 2.) ipſemet dicis: Ego flos campi, & lilium conuallium, prodiens nõ ex terra quam pedibus conculcamus, ſed ex nobiliſſimo corpore virgineo; ex illa videlicet terra, de qua ſuauiſſimè Propheta Dauid loquitur, dicẽs: Dñs dabit benigni-

tatem,

tatem, & terra noſtra dabit fructū ſuum. De quo & aliàs locutus eſt: Et erit fructus terrę ſublimis. Meritò dicitur ſublimis. Nam tu es magnus & excelſus ſuper omnes. Tu enim dominaris à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Hinc rectè nominat te Regem Pilatus. Tu ſiquidem es Rex inuictiſſimus, & potens ſuper omnia. Nam quos diuina potentia condidiſti, æterna ſapientia gubernas. Tu nullum poſt te ſucceſſorem expaueſcis. In ſublimibus cælorum ſedes, vbi tuum viget regnum, & multa potiris pace. Habes planè cæleſtem Ieruſalem, quæ viuis quotidie ædificatur lapidibus, vt ciuitas cuius participatio in idipſum. Nam illuc aſcenderunt tribus, tribus tuæ ad teſtimonium ſpiritualis Iſrael, ad confitendum nomini tuo. Super Iſrael quippe, & ſuper populum regnas Iudæorum: non autem Iudæorum ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum. Nam carnis circumciſio, & corporalium ſola depoſitio ſordium nihil prodeſt, vt in tuum admittamur regnum. Porrò qui in manifeſto

Iudæus

Iudæus eſt, minimè ad te pertinet, ſed qui in ſpiritu Iudæus eſt, & confitetur, quòd tu in cruce pendens es Ieſus, Deus & Dominus omnium. Confeſſio verò hæc non eſt labiorum tantùm, ſed cordis. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Proinde non es Iudæorum tantùm Rex, verùm etiam gentium, earum videlicet, qui in ſpiritu & fidei confeſſione ambulant. Nulla igitur diſtinctio eſt Iudæis & Græcis, aut cuiuſuis nationis. Nam tu es idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant te. Omnis qui inuocat te, ſaluus erit, ſi tamen te inuocauerit in veritate. Quotquot autem te inuocant in veritate, in ſinceritate fidei, in cordis innocentia, in ſanctimonia vitæ, in charitate non ficta, in fraternitatis amore, ad tuum ſpectant regnum: hi nempe Iſraëlitæ ſunt, & ſpiritualis populus Iudæorum, in quibus tu, ô Ieſu Nazarene, pro nobis crucifixus, regnas. Regnum hoc Spiritus ſanctus in titulo, quem Pilatus ſuper crucem figi mandauit, voluit deſignare. Hunc titulum, benigniſſime Domine,

mine, digito tuæ diuinæ gratiæ ſcribere dignare in corde meo, vt ſemper memor regni tui cogitem quid ſim, & quò ſpectem; quò aſſiduè firma fide, fortis ac imperterritus reſpiciam, quocumq. hoſtis, miſeria aut triſtitia me agitauerit. Nam ſicuti tu Rex per patientiam & obediẽtiam de hoſtibus tuis triumphaſti; ita & ego vera fide per charitatẽ operante, omnes hoſtes mihi ſubiicere poſſum. Hæc ô Patris ęterna ſapiẽtia in me perfice, vt te ſemper laudem atque glorificem, hîc & in per petuum. Amen.

PARS TERTIA.

MIlites ergo cùm te crucifixiſſent, acceperunt veſtimenta tua (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis deſuper cõtexta per totum. Dicebant ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit, vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. O Domine, quomodo reſignaſti te in omnibus? Sed parum eſt, quòd veſtimenta tua neglectui habueris in hac tanta mi-

feria, cùm etiam teipsum propter nos obliuioni tradideris. Verùm citra magnam afflictionem hoc non contigit, cùm Regius Propheta Dauid tam diu antè de eo vaticinatus fuerit. Per hoc enim nobis manifestasti conditionem Ecclesiæ tuæ in terris, quæ in quatuor mundi partes diuisa, totum mundum complectitur. Sed quot sunt, qui diuidentes sibi vestimenta tua, partem sibi vsurpant, & magis seipsos quàm gloriam & honorem nominis tui, aut Ecclesiæ doctrinam quærunt? Occurre illis, ô Domine, gratia tua diuina, vt cognoscant quo loco tu illos habeas, & quid officij ratio ab illis requirat ad verum sensum in fide Catholica percipiendum, & ad omnem hæresin tam vita quàm doctrina detestandam. Sunt infelici hoc æuo homines, qui naturæ & ingenij dotibus pollentes hæresim ac seditionem excitant, & populum Christianum miserè seducunt. Diuidunt sibi vestimenta tua, vt quisquis rapiat sibi, quando per hypocrisin captant beneuolentiam, ad doctrinam suam falsam comprobandam. Omnes iudicant, pri-

mi

mi esse cupiunt in Ecclesia, & sub prætextu sanctitatis & veritatis omnibus persuasum volunt, se solos inter se Catholicam concordiam fouere. Tu quidem percutis eos cæcitate, vt ostium veritatis inuenire nequeant, sicuti Angelus Sodomitas: sed obdurati remanēt in malo, donec plaga sine gratia, hoc est extremū exitium, eos inuadat. Eia Domine humilia eos, vt ad sui ipsorum cognitionem veniant, imple facies eorū ignominia, vt quærant nomen tuum Dn̄e, vt ad veram Catholicæ religionis redeant veritatem, & in sancta Ecclesia permaneant, & sint viua membra corporis, cuius tu ipsemet caput es. Amen.

PARS QVARTA.

IAm, amantissime Domine, adiuua sponsam tuam Ecclesiam, quæ contristata supra modum, passim multùm affligitur. Quot sunt, qui seipsos ab ea segregantes, quantum in illis est, sibi diuidunt tua vestimenta? Hos nos pati oportet, quamdiu tibi placuerit. Verùm, ô Pater misericordiarum, integra maneat benedicta tunica tua inconsutilis, quò vnitas Ecclesiæ inuiolabiliter

seruetur, ne charitas vera, qua tu & Ecclesia vti sponsus & sponsa vnum estis, vmquam labefactetur. Stet semper in conspectu tuo, vt non tradatur obliuioni. Ambulet coram te, ad tuam sanctissimam voluntatem semper adimplendam. Admitte illam quotidie in thalamum tuum, ad perfectam ibidem semper hauriendam doctrinam, qua proles suas indies instruat. Largire & mihi gratiam, vt tamquam filius obedientiæ, ei, tamquam veræ matri, me semper subiiciam, & non aliud optem, cogitem, cupiam, loquar, aut agam, quàm ipsa à te sponso suo edocta mihi imperet aut mãdet; vt in omnibus tuo exemplo cum ipsa patiar & pugnem, & cum ipsa post hãc vitam per te in perpetuum exultem & læter. Nam si hìc cum ipsa non inueniar in gratia, non potero cum illa in futuro partem habere in gloria. Eia igitur Domine, agnosce me prolem tuam, quam tu cũ matre nostra Ecclesia magna patientia peperisti, & etiamnum parturis in magna patientia, quam hactenus mecum habuisti, & etiamnum habere vis ad finem vitæ; vt vita

mea

mea in miſeria tranſacta, in perpetuum ſalua maneat. Amen.

Quinta MEDITATIO, *de contumelia Saluatori noſtro in cruce pendenti illata.*

PARS PRIMA.

OMnipotens ſempiterne Deus, hîc iam in cruce pependiſti tãquam ſignum ad ſagittam, vt contradictionis & irriſionis verba in te ſuſciperes. Hinc cruci affixus, nudus & apertus, ab impio filio tuo Cham, id eſt Iudæorum genere, deriſus es. Patiebaris ſupra modum in toto benedicto corpore, vt à planta pedum, vſque ad verticem capitis, non eſſet in te ſanitas; & viſus ac auditus facilè in te defeciſſent, niſi à diuina natura confortatus fuiſſes. Verùm his non obſtantibus, auditu torqueri debebas, dum audires vituperationem multorum commorantium in circuitu. Meritò dicebas: O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Nos perſuaſum habemus, quòd

magno dolore grauemur, dum intrinſecus quaſi deſolati, ſolatium nullum ſentimus corpore integro exiſtentes; aut dum quis nobis loquitur verbum aſperum, quod patientiam noſtram exercet; & non expendimus quòd hoſce dolores non ſolùm interiùs, ſed etiam exteriùs, toto benedicto corpore tuo, omnibus mẽbris & ſenſibus perpeſſus ſis. Tu fuiſti deſolatus intus & foris, dum foris in corpore immaniſſima tormenta perferres, & intus nullum ſolatium haberes. Vnde & clamabas: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Imò foris nullus inueniebatur, qui ſignum miſericordiæ tibi exhiberet. Per hanc tuam deſolationem, Domine, dignare me conſolari in omni tribulatione & dolore. Quando verò me ita deſolatum inuenio, vt nec intus nec foris ſolatiũ ſentiam, imò mihi perſuadeam quòd cælum & terra me angant, tunc quæſo ſuppone mihi manum, ne planè proſternar. Noſti enim Domine, quàm periculoſum mihi eſſet, ſi in tanta deſolatione ruerem. Verùm de tua bonitate confido, quòd in maxima miſeria mihi

ſis

ſis proximus,& quò maiori deſperationis tentatione affligar, eò vberiorem mihi gratiam tribuas, vt etiã cum Abraham cõtra ſpem in ſpem credam. Hoc, ô miſericordiſſime Domine, largire mihi per tuam diram paſſionem, & deſolationẽ maximam, ne vnquam, quomodocumque etiam mecum agatur, me à te ſeparari contingat.

PARS SECVNDA.

STabat populus expectans finem, partim ex curioſitate, vt viderent quem finem habiturus eſſes, qui dum viueres tam mirabilis fueras verbo & opere: partim verò ex compaſſione, quòd tu, cum ſumma vi & iniuria, morte tam turpi afficereris. Expectabant autem adiutorium, quò à miſeria liberareris, ſicuti & nos per tuam amaram paſſionem ab omni tentatione & miſeria liberandos ſperamus: partim etiam ex deſtinata malitia tuum finem expectabant, cùm iam cruci confixus omnium ſcommata & contumelias in circuitu audires. Prætereuntes enim blaſphemabant te, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum

Dei,

Dei, & in triduo illud reædificas; ſalua temetipſum: ſi filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & Principes ſacerdotum illudentes ad alterutrum cum ſcribis & ſenioribus dicebāt: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si eſt Chriſtus Rex Iſrael electus Dei, ſe ſaluum faciat. Deſcendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. cōfidit in Domino, liberet eum nūc ſi vult. Dixit enim, quia Filius Dei ſum. Idipſum autem & latrones, qui tecum crucifixi erant, improperabant tibi, & blaſphemabant. Illudebant autem tibi & milites, ac acetum offerentes dicebant: Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac. O Domine, eſt ne hæc intolerabilis contumelia, qua præter externos & internos dolores adhuc verbis ita irritaris & ſubſannaris? Quod quæſo hominum genus in terris, te his ſagittis malitiæ non inuaſit? Omnes inſurgunt aduerſum te Iudæi & Gentes, Phariſæi & Scribæ, docti & indocti, iuuenes & ſenes, ciues & milites, imò latrones tecum in tormentis poſiti: adeò, vt nullus qui tibi cōdoleret, inueniretur. Sed hæc

omnia

omnia patientia ſuperaſti. Obmutuiſti ad contumelias, & non aperuiſti os tuum, factus quaſi vas perditum, & non audiens vituperationem multorũ commorantium in circuitu. Ad ſuaſiones autem non præbuiſti aures, fraudem eorum intelligens. Patienter ſuſtinens omnia, perſeueraſti in cruce, donec ſpiritum exhalares. Non enim volebas per impatientiam de cruce deſcendere, ſed pro voluntate Patris cæleſtis de ſepulchro reſurgere. Atque ita in omnibus demonſtraſti nobis patientiæ exemplum, ne vmquam crucem abiiciamus, ſed hilari ſpiritu ſemper in tribulatione, vndecumque etiam proueniat, perſeueremus, ſiue iuſtè ſiue iniuſtè patiamur. Nam ſi iuſtè patiamur, præſtat hîc quàm in futuro pati. Sed ſi iniuſtè, æquo animo tolerabimus, in gratiarum actionem, quòd tu innocens & iuſtus tanta pro nobis pati dignatus es. Eia igitur Domine, da patientiam in tribulatione qualibet. Non reſpiciam ad hominem qui mihi iniuriam infert, cùm non ſim te melior. Nam ſi tu habuiſti patientiam in omnibus quæ pro me

peccatorum maximo perpessus es, quid ego volo perturbari, conqueri, & dolère, si à simplici homine contrister? Sit itaque mihi tam grata iniuria à minimo illata, quàm quæ à maximo proueniat. Quòd si etiam quippiam mundo ingratum per tuam diuinam inspirationem acceptauero, hoc me non affligat neque contristet, sed pro hoc te collaudem atque glorificem, gratias agendo quòd tecum pati dignus sim. Imò gaudeam quòd non sim de mundo, & tu me elegeris de mundo, & propterea mundus me odio habeat. Conforta ergo me, vt contumelias & derisiones mundi paruifaciens, cogitem omnes mundi huius miserias & opprobria esse oleum in lampade, quo amplius lumen ministrante, commodiùs hinc ad vitam æternam transeam. Amen.

PARS TERTIA.

TAndem, piissime Domine, diabolus qui aduersum te has acies ordinauerat, quique in omnibus certabat, & certatim paratas in pharetra sagittas in te signum contradictionis emiserat, & in cunctis se superatum erube-

bescens, vnam adhuc, qui in iniquitatis eius pharetra remanserat, sagittam extorquere non desiit. si fortè qui in maximis viriliter dimicaueras, improuidè vincereris in minimo. Quamobrem latronem qui à sinistris tibi pendebat, inflammauit vehementer, adeò vt & ipse blasphemiæ proferret obloquia. vnde aiebat: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos. Sed nihil aduersum te potuit. Cùm enim omnes alios patientia vicisses, etiam hunc pessimum tolerare non recusasti. Malus enim erat, & benè loqui non poterat. Iam illum diabolus viuum absorbuerat, ac ideò, nihil nisi quod ille volebat, agere poterat. Figuram namque gerebat, nec non de eorum numero erat, qui à sinistris tuis, cũ iudicare veneris viuos & mortuos, in die iudicij audient: Ite maledicti in ignem æternum. Ad hunc modum sæpiùs agitur nobiscum, benignissime Domine, vt dum singulos patienter tulerimus, tandem ab vno abiectissimo impugnemur. Et hoc quandoque nos tam malè habet, vt per hominem simplicissimum diabolus nos ad impa-

cientiam reducat, quod per alios prudentia & ingenio lōgè maiores efficere nequiuit. Et in hoc nos peccatores ſumus tam ſtupidi, vt ad dolos malos diaboli vix attēdamus. Da igitur mihi Domine, vt tuo exemplo ab omnibus libēter patiar, ne vllus mortalium, quantumuis abiectus & vilis, me ad iracundiam prouocet, aut impatientia vincat; ſed ponam meipſum ſub te, contra omnes me perſequentes, ad crucem in omni perfectione tecum portandam; ne peream miſer, aut triſtis incedam, ſed perfectior in charitate reddar, ad tibi in humilitate & patientia feruenter ſeruiendum, & amandum ſuper omnia; quò tu mihi ſis omnia in omnibus, & ego te quotidie in omnibus & ſuper omnia quæram & diligam. Amen.

PARS QVARTA.

VBi iam Domine in cruce pendens morti appropinquares, Iudæi traditi in reprobum ſenſum, in cōtrarium rapuerunt, quidquid ex dolore & miſeria diceres, & hoc fecerunt ex deſtinata malitia, dum cuncta carnaliter acciperent, quæ ſancta mater Eccleſia ſpiritua-

tualiter intellecta assumit. Tu clamabas in cruce: Eli, Eli lamma sabacthâni, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? & ex mera proteruia, vidētes te in articulo mortis, dicebant: Eliam vocat iste. Et cùm diceres, Sitio; continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto & hyssopo, & imponens arundini, obtulit ori tuo vt biberes, dicens cum ceteris: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Hæc doloribus plenus adhuc audire debuisti. Quid ergo contristor in tribulationibus meis, quęrens solatiū in creaturis, cùm præter iniuriam quæ mihi inferri possit, magis iram tuam, & omnium creaturarum persecutionem, quàm solatium promeruerim? Si ergo Domine dolor super dolorem me inuadit, & alius alio magis mihi aduersatur, non ex hoc tantopere affligar, sed complicatis manibus tibi gratias agā, quòd me in tribulationibus meis crucis tuæ participem facere digneris. Verùm non solùm verbis te afflixerunt, quin & opere ipso in extremis dolorem tibi super dolorem addiderint, cùm sitientem fel-

le & hyssopo te refecerunt. Sed hæc facientes, Scripturæ sacræ compleuerunt eloquia,& fidei nostræ instituerunt mysteria. Perfecerunt opere, quod longè antè fuerat vaticinatum. Sic enim in persona tua Propheta prædixerat (*Psalmo* 38.) Et dederũt in escam meam fel, & in siti mea potauerũt me aceto. Crudelitatem quippe Iudæorum expressit, sed non cõticuit malitiam peccatorum. Quotquot enim sumus dediti voluptatibus, quotquot superbiæ spiritu inflati sumus, quotquot liuoris, odij, aut nocendi veneno infecti sumus,in arundine & spongia fel tibi sitienti porrigimus. De huiusmodi ait Propheta Moyses (*Deut*. 32.) Fel draconum vinum eorum; & venenum aspidum insanabile. Quemadmodum Iudæorum, ita & horum potum tu æterna Patris sapientia abhorres. Non enim placent tibi peccatorum sacrificia. Illa respuis,illa paruipendis & damnas. Sitim quam de nobis te habere asseris, non auferunt cogitationes malæ, neque desideria terrena, sed cælestia, sed spiritualia, sed ignita, quæ de sanctificato prodeunt

cor-

corde. Aberant hæc à Iudæis, qui nocendi tibi animositate ardebant. Intus etenim malitia pleni, sicuti peccatores ceteri, spirituale aceti & fellis poculum tibi tradiderunt. Foris autem eas iniurias intulerunt, quas nullum alium pertulisse compertum est. A sæculo non est auditum, vt homini sitienti, lasso, vulnerato, ac morienti pro sitis refrigeratione, acetum hyssopo & felle daretur mixtum. Excedit totius humanitatis limites ista crudelitas. Ingrati, scelesti, sine pietate, absque misericordia, quod brutis impenditur, tibi Dei Filio sitienti denegarunt. O Dominus meus & Deus meus, vtinam hæc tamquam speculum semper ob oculos haberem, & tibi assiduè suauem & amicabilem haustum cor meum & sensus præbere affectarem, quò talis indies coram te apparerem, vt tibi deliciæ forent esse mecum, ne vmquam tamquam tepidum euomeres ex ore tuo: sed semper in mea maxima tribulatione paratus starem ad maiorem miseriam cum patientia expectãdam, quam ita de manu tua acciperem vt cõpaterer mihi iniuriam facien-

tibus, & pro iis qui me oderũt & persequuntur, orarem. Hæc ô Domine per te ipsum operare in me. Tu enim es, qui ex charitate tribulationem & dolorem nobis immittis; tu ipse in nobis, & per nos sustines, & in regno claritatis tuæ pro his nobis remuneras. Amen.

DIE SABBATI.

MEDITATIO *prima, de morte* DOMINI *Saluatoris nostri.*

PARS PRIMA.



O MISERICORS sempiterne Deus, qui propter me teipsum in tantum humiliasti, vt factus sis Patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi? Calicem salutaris accipiam, vt magis abundem diuitiis tuæ diuinæ gratiæ ad tuam incomprehensibilem misericordiam & bonitatem perfectiùs prædicandam & laudandam. Tu enim in cruce pependisti, quamdiu voluisti, & quantum placuit locutus es, & mortuus es quando volui-

voluisti. Vnde vltimo verbo pronuntiato, quo dicebas; Pater in manus tuas commendo spiritum meum; inclinato capite, emisisti spiritum. O nunc anima mea, vide, quàm fortis sit dilectio, vt mors videlicet, imò fortior morte, quia mortem mori fecit in morte amantissimi Redéptoris tui. Eia Domine Deus, da mihi in carne tuam amaram mortem sentire, quò spiritu perfectiùs viuam. O operetur mors tua in me, & mortificet in me quidquid oculis tuis diuinis in me displicuerit, & sim homo secundùm cor tuum. Da vt ex corde tibi cõpatiar, sicuti sponsam morti sui sponsi compati decet; vt mortem tuam tamquam propriam assumam, cùm tu mortuus sis pro me, qui millies potiùs mori debuissem, quàm permisissem vt vel vna gutta pretiosi sanguinis tui effusa fuisset. Verùm enimuerò ex ordinatione paterna erat mors tua mihi necessaria, si à morte æterna liberandus essem. Nihil igitur toto vitæ meæ tẽpore aliud cogitem, loquar, aut in vsu habeam, quàm passionem & mortem tuam; vt tua passio & mors in hac mea vita, quæ

nil nisi mors est, in me vitam sempiternam operentur. Amen.

PARS SECVNDA.

O Mors sanctissima, quæ vitam inuenit, mors inquam horrenda & terribilis ingratis atque damnatis, sed salutaris electis. Quàm suauiter Domine Iesu cum hominibus cõuersatus es! quàm abundanter multa & magna bona largitus es! quàm fortiter tam indigna, tam aspera, & tam dura pro hominibus passus es, dura verba, duriora verbera, durissima mortis supplicia! O duri & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemẽs amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas margaritas expendit. O bone Iesu, quid tibi & morti? nos debebamus, & tu soluis; nos peccaueramus, & tollis. Opus sine exemplo, cuius simile numquam visum aut auditum fuit, nec videbitur vel audietur vmquam. Gratia sine merito, quia gehennæ destinati eramus, & eripuisti nos; filij mortis eramus, & moreris pro nobis. Charitas sine modo: cùm enim ad saluandum,

nos dilexisses, noluisti moderari, quod patereris pro nobis, sed ad mortem vsq. pati dignatus es. O Deus Dei fili, sapiētia Patris, Rex cęli & terrę, corona Sanctorum, gloria Angelorum, salus hominum, quātum nos dilexisti! Nemo amatorum carnalium, etsi in hoc supra modum insaniat, sic ardescere potest amore dilectæ suæ, sicuti tu Deus noster effunderis in amore animarum nostrarum; quo scilicet amore deuictus, quas fœdas inuenisti, balneo proprij sanguinis emundasti. O clemētissime Domine, cōmoue obduratum cor meum, & fac viuum & sensile, cùm mortuum sit & sine sensu; mortifica in quantum viuit secundùm sæculum & carnem, vt perfectiùs tua benedicta passione & amara morte occupatum inueniatur. Da mihi vt omnibus modis in spiritu tibi seruiam, tecum ambulem, patiar, ac moriar, sicuti tu etiam corporaliter ex abundantia diuinæ gratiæ in terris nobiscum conuersatus es, & pro nobis patiens crucis supplicium subire dignatus es; quò ego tecum sim quotidie, sicut tu nobiscum fuisti in terris, & tādem post

hanc vitam tecum ſim in ſempiternum. Cogitem aſſiduè quàm indecens fuerit, quòd tu patiendo mortem ſubires, atq. ob id animo magis grato accipiam omnem tribulationem, quæ me inueniat, paratus ſemper pro te mori in omnibus, pro tua ſanctiſſima voluntate, ne quidquam in me viuat præter te, qui pro me mori dignatus es, confidens planè in te, quòd numquam auxilium gratiæ mihi ſubtraxeris. Nam ſi hæc omnia paſſus es pro me, cùm adhuc inimicus tuus eſſem; quanto magis iam gratiam tuam mihi cõmunicaueris, cùm amicus tuus factus ſim, & tanti me emeris, vt maioris tibi conſtare nequeam; & tantam mihi impenderis dilectionem, quæ ſupra modum magna eſt, nec ęſtimari poteſt, cuius etiam exemplũ reperire non eſt, neque in cælis, neque in terra. Hanc charitatem fortiter mihi imprime, vt ſit media inter te & me, & me tecum nunc deinceps vnum efficiat; vt quotidie participatione veri corporis tui, nòn aliud in me ſentiam, quàm in te ſit, quò tu in me, & ego in te ſim, & maneam in perpetuum. Amen.

PARS

PARS TERTIA.

O Benigniſſime Domine & Pater, ſis benedictus & glorificatus in ſæcula, pro omnibus beneficiis mihi miſerrimo peccatori exhibitis. Nam innocens expandiſti in cruce immaculatas manus tuas, pro manibus meis incontinenter extenſis: & pro ſuaui cibo ligni vetiti, accepiſti eſcam fellis & aceti, quæ non rapuiſti exoluens; & mortem in te ſuſcipiens, noſtram mortalitatem abſtuliſti. Quid commiſiſti dulciſſime Ieſu? quæ tua noxa? quæ cauſa damnationis tuæ? Ego ſum certè cauſa doloris tui. Quæ perpetrauit iniquus ſeruus, ſoluit pius Dominus. Ad illicita me concupiſcentia traxit, ad crucem te ſancta charitas pro me deduxit: ego peccati dulcedinem, tu guſtas pro me fellis amaritudinem. O dulciſſime Ieſu, quò deſcendit tua humilitas, qui pro me factus es obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis? O quis det mihi, vt tecum totus, carne pariter & ſpiritu, gladio compaſſionis transfigar, crucisque patibulo cum dilecto configar, nec aliud ſentiam niſi te Dominum

meum Iesum,& te crucifixum. O quis mihi det Deus meus, vt moriar amore tui, qui tam libenter mori dignatus es amore mei! Interim sit mihi dulcis lectus, lignum sanctum crucis tuæ, in quo dulciter requiescam: sit mihi corona tua spinea dulce ceruical, vt caput meum in ea suauiter reclinem. Quia si compatiar, & conregnabo tibi in perpetuum. Amen.

PARS QVARTA.

O Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, trahe iam me in te, & fac ex te & me vnum; vt sicuti ego tui desidero esse particeps in venerabili Sacramento, ita tu me totum deglutias, & solus in me viuas; quò non aliud in me sentiam, quàm in te est, secundùm humilitatem, patientiam, obedientiam & charitatem, ad mortificandum meipsum tuo exemplo, ne quid præter te & virtutes tuas sanctas in me viuat. Da mihi perpetuam mortem mori, vt sim quasi mortuus secundùm sensualitatem, vt nec dolorem nec miseriam sentiam, nec laudem aut honorem affectem, nec contemptum meiipsius

animaduertam; ſed in omnibus quomodocumque mecum agatur contentus ſim, cogitans ita debere eſſe pro tua ſanctiſſima voluntate. Verùm ſi non poſſim ita mori manens in hoc mundo, quin carnis tribulationes & tentationes in me ſentiam, fiat voluntas tua; hoc ſaltem obtento, vt tua gratia carnis motus ita compeſcam, & omnes paſſiones ita temperem, ne mihi ſalutis nocumẽtum adferãt, ſed ſint in exercitium virtutum, & meritorum augmentum, vt talem in tribulatione me præbeam, ac ſi dolorem non ſentirem. Ita ô Domine operetur in me mors tua amara, vt non tantùm ſemel, ſed indies, imò quoad vixero, cunctis ſenſualitatibus moriar propter te, qui ex tanta charitate mortuus es pro me. Fac me mortificari intus & foris. Moriar viſui & auditui, ne videam vel audiam quæ mihi nocumento ſint, & ſim quaſi non viderem vel audirem. Moriar odoratui & guſtui, ne quid præter neceſſitatem naturalem appetam, ad gratum tibi ſemper obſequium ſeruitutis præſtandum. Moriar tactui, vt iram & concupiſcen-

tiam (si quando me inuadant) ita compescam, ne vel minimum opere exteriori declarem, sed transire sinam omnia propter te, qui tam turpi & contumeliosa morte pro me mori voluisti. In omnibus autem hîc fac me tibi similem, per virtutem venerabilis Sacramenti; vt in cunctis tecum patiendo, in omnibus tecum moriar. Intendam tibi tam fortiter, ne in abstinendo & sustinendo difficultatem sentiam, sed per contemplationem & imitationem passionis & mortis tuæ omne meum pati & mori vincam. Hæc omnia tu amantissime Domine Iesu operare in me, vt viués ac moriens tibi viuam & moriar, & apud te locum habeam in tempore & æternitate. Amen.

Secunda MEDITATIO, *de miraculis quæ tempore mortis* DOMINI *contigerunt.*

PARS PRIMA.

O Amantissime Domine Deus, cuius iam tam ferreum pectus, tam adamantina mens, vt hu-

iuf-

iusmodi narrationé non repleantur cõpunctione viscera, cor amaritudine, oculi lacrymis, ora singultibus, linguaq. clamoribus? Quis non doleat de morte tua, in cuius transitu sol obscuratus, velum templi scissum, petræ diruptæ, & aperta monumenta? Poterit ne humana mens saxo esse durior, & inanimatis insensibilior? Plangat, quæ non dolet anima, super iis quæ hîc dicuntur, quoniam meritò plangẽda est. Aliena quìppe videtur esse à corpore, cùm non tristatur capitis passione. Timeat verò prę-scindi tamquam putridum membrum. Eia igitur, clementissime Pater, trahe me in te, vt omninò quod in te est, in me sentiam, ac tantopere tibi condoleam, quantopere tu ex charitate pro me pati ac mori dignatus es. Totum quod in te fuit in me experiar, vt per hoc à peccatis præseruatus, in omnibus pietatis officiis, quę in tua passione & morte aperiuntur, me exerceam. Assumam mihi passionem & mortem tuam tam fortiter, ac si præsens oculis eam intuerer. Ego enim illam promerueram, & tu pro me pati dignatus es. O si ex charitate

ritate hæc omnia in me traherem, ſicuti tu pro me pertuliſti; profectò in ſummam admirationis altitudinem caderet, ſi cor meum intra me ex charitate non rumperetur. Eia Domine, per hanc tuam inexplicabilem charitatem fac me talem, qualem me ab æterno præordinaſti, & præpara me per gratiam, vt gloriæ fiam particeps in æternum. Amen.

PARS SECVNDA.

O Miſericordiſſime Deus, velum tẽpli pendens ante ſanctum Sanctorum, in quod ſummus Sacerdos ſemel in anno intrabat, ſciſſum eſt; quò omnia ſub legis velamine tecta, iam per mortem tuam manifeſtata ſunt. Hoc operata eſt mors tua ſanctiſſima, vt nũc per fidem & ſpem nuda & aperta ſint, quæ præteritis generationibus inuoluta fuerunt, & nos iam per Spiritum ſanctum illuminati ſperemus, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Hoc enim præparaſti in te ſperantibus ac diligẽtibus te.

Velum ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Nam gratia tua abundè ſatis eſt nobis miniſtrata & communicata,

vt

vt ab intellectu iam ad ſenſualitatem deſcenderit,& à ſpiritu in carnem; quò caro & ſenſualitas ſæpè refrigerium in tentatione, tribulatione & dolore ſentiant. Eia igitur Domine, qui iam crucifixus ipſemet in venerabili Sacramento ad nos deſcendis, aufer velum quod eſt intra intellectum & ſenſualitatem; vt quod per intellectus illuminationem mihi indies ad meditandum ac ruminandum inſtillas, tranſeat ad ſenſus & aures meas, ac oculos ita adimpleat, vt omnia extranea quæ in me influentiam tuę diuinę gratię impediunt, retrocedant; quò per gratiam quam me aliquando experiri facis ad contemplationem gloriæ ſupernæ, aſcendam, & ibi oculos mentis fixos habeam, vbi tecum eſſe deſidero in perpetuum. Amē.

PARS TERTIA.

TErra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt. O rem omnium maximè admirandam! muta elementa ferre non potuerunt, quòd tu Deus & Dominus eorum crucifigereris. Hoc, ô Pater, in me perficiatur. Moueatur in me omnis terrenus appetitus,

ad amorem cælestium gaudiorum; quò nunc deinceps mihi sit conuersatio in sublimibus cælorum regnis, ad cuncta inferiora obliuioni tradenda. Moueatur ita in me terra, vt quidquid terrenum fuerit mihi decidat, & spiritus meus cum tuo sancto spiritu vniatur.

Petræ scissæ sunt. Eia nunc per mortem tuam amaram cor meum lapideum ad veram pietatem emolliatur, vt nunc non lapideum sed carnale sit cor, ad te in ter sancta Eucharistia recipiendum, quò te timeat, te diligat, te sequatur, & tu in eo pro tuo beneplacito teipso fruaris, ad temet in me prædicandum, laudandum, atque benedicēdum sine fine.

Monumenta etiam aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, virtute mortis tuę surrexerūt, tamquam testes resurrectionis tuæ. Quare non statim surrexerunt, sed post resurrectionem tuam exierūt de sepulchris, & ingredientes sanctam ciuitatem apparuerunt multis, qui posteà in corpore & anima simul tecum ad cælos ascenderunt. Ad hunc modum, Deus Domine, operare in me per virtutem venera-

bilis

bilis Sacramenti, vt de resurrectione sancta in nouissimo die certior fiam. Ad veram autem spem de his concipiendam, fac me vigilantem spiritu, quò me tam seriò præparem ad tuum aduentum in venerabili Sacramento, ac si iam hora mortis meæ instaret. Da gratiam, vt exurgam de somno malitiæ, quæ me pusillanimem facit, ac si omnia mea opera bona essent frustranea, & per gratiam tuam operari non possem, quod esset gratum in oculis tuis. Resuscita me Domine ad verum omnium virtutum bonorumque operum exercitium, quò mihi hoc tempore ita cum formica prouideam, vt in futuro securus & nullius indigens inueniar. Eia Domine, intra ad me per venerabile Sacramẽtum, & per te ipsum hæc in me operare, quò virtus mortis tuæ sanctissimæ præueniat me, & passio tua in me gaudium spiritus, & mors tua vitam æternam operetur. Amen.

PARS QVARTA.

Centurio autem, & qui ex aduerso stabãt cum eo custodientes te, vbi viderent, quòd sic clamans expirasses,

viſo iam terræmotu, & his quę fiebant, timuerunt valdè, & glorificauerunt Deum, dicentes: Verè homo iuſtus & Filius Dei erat iſte. & omnis turba eorum qui aderant ad ſpectaculum, audientes & videntes quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebãtur. O benigniſſime Deus, quàm citò virtus tui pretioſi ſanguinis apparuit, quem obtuliſti Deo Patri precibus ignitis, quibus etiam pro crucifigentibus te oraſti! Nam hæc quæ per terræmotum & alia ſigna præfigurata ſunt, etiam per corda hominum adimplentur, cùm iam timore Dei, qui eſt initium ſapientiæ, moueréntur. Da igitur & mihi Domine, quotieſcumque hæc mediter, timore tuo ad vitæ emendationem pertrahi, vt per meritum pretioſi ſanguinis tui fides in me adaugeatur, quò de die in diem fortiùs te in me ſentiam per efficacem à peccato auerſionem, & perfectam ad te conuerſionem, vt ita fructus tuæ benedictæ paſſionis & mortis applicentur mihi, quò ex admiratione percutiam pectus meum, agnoſcens quòd peccatis meis hæc omnia promeruerim, quæ tu

ex immenſa charitate pro me pati dignatus es. Da etiam, vt cũ Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris & Ioſeph matre, & Salome matre filiorum Zebedæi, à longè ſtem, & te in cruce pendentem videam. Ingrediar cum his per cicatricum rimas in cordis tui penetralia, ibique tecum pariter inhabitem; ne tui corporis miſerabilis, ſanguine pretioſo tinctæ pellis & carnis, profundorum ac latorum vulnerum, paſſioniſque tuæ multiplicis obliuione vmquam capiar; ſed tibi ſemper præſens, omnes hoſtium tẽtationes propulſem, ac in omni patientia & humilitate tibi ſemper adſim. Ad hoc me adiuua amantiſſime Domine, & ſanguinum ſponſe, vt per aſpectum ſanguinis tui ſanctiſſimi omnes tribulationes vincã, & tibi in perpetuum placeam. Amen.

Tertia MEDITATIO, *quòd vnus Militum lancea latus* DOMINI *aperuerit.*

PARS PRIMA.

O Clementiſſime Pater, vbi impij ſacerdotes, & ſcelerati Iudæi hæc

faci-

facinora perpetrassent, & te Filium Dei viui Dominum ac Saluatorem meum in cruce turpissima morte affecissent, timebant ne publici latrocinij tamquam homicidæ arguerentur: cùm omnes pij tibi ex signis testimonium ferrent, quòd Filius Dei esses, ipsi ad alia se conuerterunt, &, vt intolerabilem nequitiam suam absconderent, rogauerunt Pilatum vt in cruce pendentium frangerentur crura, & tollerentur, ne remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati.) Confundebantur planè in seipsis, & redargutionem publicam verebantur. Quamobrem sub legalis obseruantiæ zelo postulabant hæc instanter, cùm Deut. 21 haberetur: Non permanebit cadauer eius in ligno. Multi vtique poscebant bonum, legisque custodiam præuaricatores ipsi quærere simulabant: minimè tamen valebant recto corde decretà legis obseruare, qui latorē legis occidere curauerunt. Hic, ô Domine, est cursus huius sæculi. Verùm enimuerò egerunt tam simulatè sub specie iustitiæ tecum, vt coram

mun-

mundo rectè agere viderentur: quorſum ergo ego me affligo, dum homines mihi obloquuntur, & contemptui habẽt, in omnibus quę pro gloria tua egerim? Da igitur patienter feram omnem iniuriam ab amicis mihi ſub ſpecie pietatis illatam, & perſeuerem in bono propoſito à te mihi inſpirato, ne mundi lenociniis aut dolo malo deceptum me inueniam. Si dent bona verba, & dirigant ſermonem cum fauore, captantes beneuolẽtiam qua mundo ſtudeant me tradere, non acquieſcam eis; ſim quaſi mortuus, non habens in ore meo redargutiones, vt ita in omnibus circa me tua diuina voluntas fiat, ſicuti in te per malignos Iudæos Patris tui cęleſtis voluntas eſt adimpleta, cùm omnia mala, quæ aduerſum te impij ſunt machinati, Pater tuus in bonum conuerterit.

PARS SECVNDA.

ERat interim, ô ſponſe ſanguinum, inconueniens, quòd in ſolemni die Sabbati cadauera ſuper terram manerent. Erat enim magnus dies ille ſabbati. Verè magnus & ſingularis erat dies, in quo tu hominum Redẽptor re-

quieuisti in tumulo. Sanè requietionis huius mysterium venerandum, diuina prænuntiauêre eloquia. Perfectis quippe cælis, elementis, animātibus, & vniuersis quæ sunt, ipsóque plasmato homine, sic legimus: Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Quod in veritate fuit figura huius quietis tuæ, qua post mortem, peracto mysterio redēptionis humanæ, in sepulchro requieuisti. Alioquin operaris adhuc, sicuti & Pater (secundùm verbum tuum) videlicet gubernationem & regimen totius vniuersi. Quapropter nihil boni à me, aut vllo homine proficisci potest, nisi tu opereris. Rectè igitur ad declarandum talem diem Sabbati, qui ratione mysterij iam completi, præ aliis diebus eminebat, dictus fuit magnus dies Sabbati. Magnus dico, quia Sacramentorum multitudine solemnis. Dies namq. illa significauit quietem, qua humanitas tua requieuit post crucem & mortem: denotabat etiam spiritualem quietem̃, qua corpus tuum mysticum, hoc est electi tui re-

quie-

quiescent à peccato & scandalo: imò demonstrabat quietem sempiternam, quam vnà tecum habebunt in vita cælesti. Eia Domine, qui hæc in veritate compleuisti, da vt hanc triplicem quietem in me sentiam, quò æternæ requiei spem concipiam. Numquam fugiat à me quies, quam propter me post passionem & mortem suscepisti, quò & ego tuo exemplo confidam me habiturum requiem post ærumnas & miserias huius vitæ. Singulariter da mihi requiem à peccatis omnibus, ne vmquam quid committam, quò te ad iracundiam prouocem. Si nõdum possum habere quietem intus aut foris à tentatione & pugna, si ab inclinatione & sensu maligno liber esse nequeam, da saltem requiem à consensu, ne vmquam inclinationi prauæ aut motui assensum præbeam, & multò magis caueam ne opere compleam. Super omnia da mihi requiem sempiternam, quæ est finis omnium; vt à laboribus tandem, pugna & tentationibus liber, tecum in æterna gloria requiescam. Amen.

PARS TERTIA.

VEnerunt ergo milites, & primi fregerũt crura, & alterius qui crucifixus erat cum eo, Ad te autẽ cùm venerunt, non fregerũt tua crura, sed vnus militum lancea latus tuum aperuit, & cõtinuò exiuit sanguis & aqua. O quàm mirabilia fuerunt omnia in tua benedicta passione! Milites, vt placerent Iudæis, adhuc post mortem contumelia te affecerunt, sed hæc contumelia in magnum Sacramentum commutata est, Grande quippe inauditumque prodigium, vt de exanimato corpore sanguis exiret & aqua. Verumtamen maximum in re hac gesta nobis voluisti commendare Sacramentum, tui videlicet & Ecclesiæ vnitatem. Huius etenim spiritualis copulæ figura præcessit, quando de latere Adæ dormientis, vna ex costis ipsius subtracta narratur, de qua Eua cunctorum parens formata est, quæ Ecclesiæ typum gerebat, Hinc vigilãti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret, Latus eius percussit, aut vulnerauit, sed aperuit, vt illic quodãmodò vitę ostium aperiretur, vnde Sacramenta Ecclesiæ

mana-

manauerunt, ſine quibus ad vitam, quæ verè vita eſt, non intratur. Hoc prænuntiabat, quòd Noë in latere Arcæ oſtium facere iuſſus eſſet, quò intrarent animalia, quæ non erāt diluuio peritura, ſicuti adhuc Eccleſia ſuſcipit & cuſtodit animas, ne diluuio infidelitatis abſorbeantur. Propter hoc enim prima mulier facta eſt de latere dormientis, vt inde reformaretur tibi coniunx, per id quod de latere tuo, dum dormires in cruce, effluxit. O mitiſſime Domine & Pater, da mihi iam liberum acceſſum ad hoc benedictū latus tuum, vt ibidem quaſi à te abſorptus, ſentiam charitatem illam tuam ineffabilem erga me oſtēſam, quò ego eadem charitate accenſus, te ſuper omnia redamem. Singulariter fac mihi copiam ingrediendi hoc tuum latus benedictum, quoties miſer & afflictus variis tētationibus obruor, vel etiam quid grauius pati cogor; vt huc me conuertendo, & tribulationis obliuiſcar, & manus hoſtium euadam. In hoc etiam tuo benedicto latere recipe me in hora mortis, quando hoſtes ſimul omnes aduerſum me inſurgent, & terribilis de

me miserrimo peccatore proferetur sententia: tunc quæso hîc me absconde, donec transeat furor cum tua seuera sententia, quæ in die vindictæ nemini parcet. Descendat etiam, ô Domine, super me tuus qui de latere profluxit pretiosus sanguis & aqua, vt aqua illa benedicta me emundet ab omni inquinamento carnis & spiritus, ab omni mala inclinatione & carnis petulantia; quò sincerus & cãdidus quotidie appaream in conspectu tuo. Descendat etiam qui de latere tuo effluxit pretiosus sanguis super me, & calefaciat tepidum cor meum, vt verè ardens & pius in omnibus virtutibus ac bonis operibus semper inueniar. Amen.

PARS QVARTA.

HOc miraculum, piissime Domine, quo sanguis & aqua de benedicto latere tuo profluxit, vbique in orbe terrarum sancta confitetur Ecclesia, hoc multiplicibus Scripturarum diuinarum testimoniis roboratur. Insuper & qui vidit de te aquam emanare & sanguinem, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Nempe iste est

Ioan-

Ioannes Apostolus & Euangelista, qui præcipuo à te amore dilectus est, horum quæ memorata sunt fidelissimus extitit prædicator & scriptor. Profectò hæc facta sunt, vt Scriptura impleretur, quæ ait: Os non comminuetis ex eo (*Exod.* 12. *Num.* 9.) Ad hoc quippe Moysi fuerat imperatum, ne in sacrificij phasæ celebratione immaculati agni vllum comminueretur os. In te autem agno innocentissimo, Domine Iesu, figuræ veritas est completa. Non enim crura tua sunt fracta, quemadmodum duorum nequam tecum pendentium in cruce, sed tantùm latus tuum apertum, quatenus alia Scriptura perficeretur quæ dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Et hæc omnia facta sunt propter nos, vt corpus tuum mysticum (videlicet electi, quorum caput es) integrũ maneret, & nemo ex illo periret. Eia, benignissime Dñe, da vt ex illis vnus sim, & semper, quomodocumq. mecum agatur, apud te locum habeam, & maneam tecum hîc & in perpetuum. Verùm vulnerum cicatrices in tuo voluisti corpore retinere, vt sicut electis in-

centiuum dilectionis, ita reprobis irrefragabile fiant testimonium damnationis. Ista omnia consummata in te, diu antè Prophetarum oraculis promulgata fuêre, quatenus Catholica fides tam pro se quàm aduersus hęreticorum muniretur errores. Da igitur mihi Domine eò respicere, vbi post hãc vitam plenum gaudium expecto, & sit cor meum semper cum tuo transfixo corde vnitum. Da vt per venerabile Sacramentum ita ad tuum aduentum pręparer, vt duo saltem in me sentiam. Primum, vt firmam habeam spem inter electos tuos numerari, ne diabolus, aut infernus, aut mors, aut tentatio, aut pugna, aut dolor, aut paupertas, aut diuitiæ, aut fortuna, aut infortuniũ me à te separet: sed perseuerem tecum cõstans in omnibus, sicuti tu integer permansisti, vt ne os sit in te cõminutum. Alterũ, vt virtute Sacramenti venerandi me tuo diuino ac paterno cordi includas; ac tibi semper præsens sim, ne vmquam aliud in me sentiam, quàm in te sit. Hæc, ô sponse Dñe, per te ipsum operare in me, vt tu solus in me viuas, hîc in gratia, & posteà in gloria.

Quarta

Quarta MEDITATIO, *de depositione* DOMINI *Saluatoris de cruce.*

PARS PRIMA.

CVm iam serò esset factum Domine (quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathæa ciuitate Iudææ, homo diues, nobilis, decurio, bonus & iustus; hic non cõsenserat consiliis & actibus eorum ; qui expectabat & ipse regnum Dei, & discipulus erat tuus. O Deus bone, da vt in spiritu hunc virum repræsentem, qui ab augmento nomen habet, vt & ego quoad vixero in virtutibus progressum faciam. Attẽdam manè & vesperi sine intermissione ad passionem tuam, quò semper tuæ benedictæ passionis memoriam agam, ac insuper iustus coram te & omnibus hominibus inueniar, vt cor meum tecum cõcordet, & conuersatiõ mea sit pia & sine querela inter homines, & sic merebor tuus esse discipulus. Non sit autem mihi satis, si tuus discipulus sim, sed

magis cum Ioſeph ab Arimathæa appropinquem; vt tamquam ſponſa te meum ſponſum concupiſcam, & corpus meum per venerabile Sacramentum cum tuo ſanctiſſimo corpore vniatur, quò ſpem cōcipiam locum habendi inter decuriones Ieruſalem cæleſtis. Nemo enim ibi inter decuriones recenſeri poteſt, niſi hîc quàm diligentiſſimè in obſeruatione Decalogi ſeſe exercuerit. Hæc eſt vera præparatio ad diem Dominicum, quo tu poſt quietem in ſepulchro à mortuis reſurrexiſti. Fac ergo me idoneum, vt deſiderio benedicti corporis tui, in venerabili Sacramento, ardeam, ac per hoc tibi vniar, & te in anima & corde ita recipiam, vt ego ipſe à te recipi merear. Si ad hoc cum Ioſepho ab Arimathæa præparer, benè mihi erit. Præmitte igitur Domine Spiritum ſanctum, qui hanc præparationem in me operetur, & infundat mihi charitatem, quæ nos tamquam vinculo perfectionis colliget, ne quidquam in me reperiatur, ſiue proſperum ſiue aduerſum, quod nos ſeparet; ſed ego in vera obedientia, ſicut ſponſa

ad

ad ſponſum, me ad te ſemper conuertam. Amen.

PARS SECVNDA.

IOſeph, Domine, non cõſenſerat conſiliis & actibus eorum, quia per te regnum Dei expectabat, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus tuũ. Audacem illũ & intrepidum fecit amor tui, & debitæ humanitatis officium. Minimè expauit Phariſæorũ atq. Pontificum rabiem, non eſt veritus Præſidis crudelitatem, nec humile ſplendidi corporis tui opus erubuit. Propterea ne ſacratiſſimũ corpus tuum indignè tractaretur, ab inuidis illud ſibi donari popoſcit, ſperans per locupletem meritorum cumulum ſe in ſublimibus cælorum manſionibus poſſe morari. Eia igitur Domine Deus, vt dignus inueniar deſiderare corpus tuum in venerabili Sacramento, da gratiam ſeparandi me ab omnibus mũdanis & carnalibus rebus, ne hominum malignãtium factionibus me immiſceam. Expectem regnum tuum, & quotidie ad perfectionem cæleſtis patriæ anhelem. Nihil in me reperiatur quod tuum diuinum ho-

norem obſcuret. Ita tranſeam omnes homines, ne quempiam reſpiciam, quin ſemper tuam diuinam inſpirationem ſequar. Da per veram fidē ſemper cum Eccleſia vniri, & pretioſi corporis & ſanguinis tui participem fieri, quoties hoc mihi expedire noueris. Non me in hoc impediat vlla creatura, nec diabolus, nec mors, nec infernus, ſed per medium illorum omnium tranſeam, & te ſolum quæram pignus æternæ ſalutis, quo benè ſit animæ meæ hîc & in perpetuum. Amen.

PARS TERTIA.

Pilatus autem miratus eſt, ſi iam obiiſſes. Meritò mirabatur. Quia in ſummam admirationis altitudinem cadit, quòd non citiùs mortuus eſſes, qui eò vitam protraxeras, vt iam in cruce pendens, quaſi myrrhæ faſciculus factus eſſes, cùm ne guttam quidem ſanguinis tibi reliquam feciſſes, quin totum pro nobis effuderis. Pilatus itaque, accerſito Centurione, interrogauit ſi mortuus eſſes. quod impiorum Iudæorum cauſa factum eſt, ne haberent occaſionem calumniandi tuam

ſanctam reſurrectionem. Certus autem iam factus Pilatus de morte tua per Centurionem, donauit corpus tuum Ioſeph. Quale munus hoc, & quàm præcipuum! Vtique ſuper aurum, & ſuper omnem lapidem pretioſum, electum. Theſauri vniuerſi, & cuncta ſæculi huius ſubſtantia, in comparatione ipſius, arena viliſſima æſtimanda ſunt. Gaude igitur ô Ioſeph, & tanto lætare munere: magnipende illud, & quaſi oculi pupillam cuſtodi: caue ne illud longè à te patiaris abeſſe: eſto vbi illud, ſiue in domo, ſiue in tumulo: line oculos tuos ſanguine illius, ſuoque liuore tuis medere vulneribus. O ſi hodie hæc gratia mihi eueniat! Oro quidem indies pro hoc beneficio: ſed quando ô Domine experiar, vt vel ſemel ex toto corde gaudeam & exultem, de vero corpore tuo, quod in venerabili Sacramento recipio? Eia accipiam hoc ſemel cum vera cordis contritione, quò ſenſus mei cum tuis ſanctiſſimis vulneribus vniantur, & ego tam pretioſum pignus quàm diligentiſſimè cuſtodiam, vt per hoc ſolatium in omnibus tribu-

lationibus meis inueniam, in pusillanimitate conforter, & in cunctis virtutibus ac bonis operibus promouear. Nihil huic tuo sanctissimo corpori præferam, sed vniuersa quæ sunt, abnegem & relinquam, vt huic soli intendam. Si gaudeam de tuo benedicto corpore, te habeo, Ecclesiam sanctam, atque meipsum. Tu enim es caput corporis, cuius ego me membrum esse spero, & desidero. Sis ergo ô Domine mecum, vt ego sim tecum; atque ita simul viuamus, hic in gratia, & posteà in gloria. Amen.

PARS QVARTA.

QVando iam, ô misericordissime sempiterne Deus, de cruce deponereris, non longè aberat benedicta virgo Maria mater tua, quæ procul dubio præsens te in manibus suis assumpsit. O quantum lamentum, dum tuum miserabile corpus, tam dirè dilaniatum, percussum, & humiliatum, atque ita distractum, vt ne membrum quidem suum locum occuparet, totum flexibile tamquam linteum quod digitis aduoluitur, corona spinea coronatum, clauis solutis, de cruce deponitur! Bene-

dicta mater tua tristis fuit supra modum, videns te ita miserabilem & abiectum tamquam vermem qui pedibus conculcatur: imò contristata fuit vsque ad mortem, dum extrinsecus appareres, ac si numquam viuus vel mortuus eius oculis subiiciendus fuisses. Verùm cùm iam de cruce deponereris, summo gaudio perfusa est, quòd digna esset te in sinu suo materno recipere, licet mortuum, sanguine tinctum, & miserabiliter vulneratum. Quare oppidò gauisa te recuperatum ambabus vlnis amplexata est, cordi ac pectori suo apposuit, ore suo virgineo oscula incessanter tibi impressit, & omnia obsequia humanitatis exhibuit. Verùm hoc ingens gaudium summum mœrorem coniũctum habebat, dum cõsideraret primùm quis esses, videlicet Filius Dei viuentis, sapientia Patris, gloria cælorum, & corona Sanctorum omnium. Deinde quid perpessus esses, qui factus fueras tamquam vermis, & nõ homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Denique pro quibus passus esses, nempe pro nobis miseris & fœtidissimis peccatori-

bus, hominibus ingratis, qui tuam diram passionem tam paruifacimus, qui sub tãto beneficio in salutem assumendo perimus, qui tua dira passione, vulneribus sacris, & morte amarissima tam impiè abutimur, ridentes ea & subsannantes tamquam res lusorias; cùm tamen sine intermissione, sustinendo, abstinendo, & operando, gratiæ nobis pro iis agendæ essent. His consideratis, benedicta virgo Maria mater tua lætitiam cum tristitia coniunctam habẽs, te cum summa reuerentia in suum sinum virgineum atque maternum recepit. Hoc modo, clementissime Pater ac Domine, da vt & ego miserrimus peccator dignus efficiar te recipere in venerabili Sacramento. Assumam te tanto cũ gaudio, quanto te de cruce depositum benedicta Virgo & mater recepit. Tu enim es Dominus meus, & Deus meus, qui vniuersa, quæ sunt in cælo & in terra, exhilaras; tu es vita animæ meæ, per quam habeo omnia; tu es mihi auxilium in tribulatione, fortitudo in infirmitate, virtus mea vnica, perfectio omnium bonorum operum. Tu es solus, in

quo

quo cōquiescam, qui cor & sensus meos satiare potes: lætabor ne igitur in aduentu tuo, cùm mihi appropinquas per venerabile Sacramentum? Meritò sanè lætor ex integro: nam quando tu ad me venis, habeo quasi cælum in terris; vt in omni tribulatione & dolore, in omni tristitia & afflictione sim quasi tecum in cælo. Nam tu mederis omnibus vulneribus, tu consolaris omnes afflictos, tu confortas pusillanimes, tu in nobis tentationes vincis. Meritò igitur exulto in tuo aduentu per venerabile Sacramentum. nam tecum pariter ad me intrat omne bonum, siue hoc intelligam, siue non intelligam. Verùm hæc lætitia iustè mœrorem admixtū habebit. Nam dum animaduerto quid tu sis, & quid ego, quanta beneficia mihi exhibueris, & quàm ingratus sim pro his, quanta passus sis pro me, & quàm parum hæc recogito, meritò mœrore tabesco. Quid enim sum ego miser vermiculus terræ, spurcissimus peccator, fœtidissimum lutum, vt mihi aliquid assumam, qui dum me benè considero, nihilo minus sum? Quid igitur sum, vt tu Dominus

meus & Deus meus, creator cæli & terræ, magister omnium, lumen cæli, gloria Angelorum, & honor Sanctorum omnium, ad me terræ vermiculum (si adhuc nomen vermiculi merear) intres? Multa & maxima mihi præstitisti beneficia, qui propter me homo factus, hanc mortem turpissimam assumpsisti: quod ego tam parum expẽdo. Imò cùm gratus esse deberam, sæpiùs proprium sequor cerebrum, & reddo pro patientia impatientiam, pro humilitate superbiam, & pro tua obedientia propriam voluntatem. Numquid igitur meritò cõtrister? Imò quod amplius est, tu ipsa veritatis sanctitas intras ad me fœtidissimũ, Deus ad hominem, iustitia ad publicanum, perfectio ad cor maximè instabile. Eia Dñe, da mihi hæc cũ magno cordis singultu & oculorũ lacrymis expendere, vt omnem virtutem & gratiam per tuum salutarem aduentum in anima experiar, & tu ita à me accepteris, vt solus omne dominiũ in me habeas, & regas me secundùm propositum tuæ sanctissimę voluntatis, tã in corpore, quàm in anima, hîc, & in perpetuum. Amen.

Quinta MEDITATIO, *de Sepultura Saluatoris nostri.*

PARS PRIMA.

O Benignissime Deus, Ioseph mercatus est sindonem; & huic benedictum corpus tuum inuoluit. Venit autem & Nicodemus, qui tibi appropinquare solebat nocte, ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum. Hi venerunt ad benedictum corpus tuum honestè sepeliendum iuxta illud Isaiæ (*cap.* 11.) Et erit sepulchrum eius gloriosum. quod iam in veritate completum, vbi primates ciuitatis Ierusalem, videlicet Ioseph ab Arimathæa, nobilis decurio, & Nicodemus doctor legis & Princeps Pharisæorum, ad sanctum corpus tuum terræ mandandum parati fuerunt. Non sunt ad hoc ministerium vsi famulis aut famulabus, sed ipsi per se hoc effectum curarunt; sicuti primaria opera homines per se libenter expedire solent, & si quid minùs dignum, hoc per ministros curant.

Melius

Melius autem opus, quod hominem in anima promoueat, exerceri nequit, quàm hîc nobis exhibetur. Tu igitur, ô anima mea, in spiritu festina te iungere illis, vt sis tertius comes, quatenus sponso tuo hîc vltimum valeas humanitatis impendere obsequium: vide tamen ne tu vacua eas: secum (vt cernis) Ioseph sindonem defert, vt in ea ea sacrata Christi caro voluatur: Nicodemus autē, vt inungatur corpus, optimum myrrhæ thymiama confecit. Tu verò si sapiens fueris, ex oculorum fontibus imbrem lacrymarū educes, atque ex ipsis ad lauandum corpus plenum vasculum comportabis. hac aqua, manuum, pedum, ac lateris vulnera tui ablues Redemptoris, necnon & reliquum corpus cruentatum, liuidum, dirisque sulcatum vulneribus. Omnem hunc congregabis liquorem, vt ne guttam quidem minimam perire permittas. Ex ipso autem saluificum tibi conficies balneum, ad tuorum detergenda vulnera delictorum, & ad vitiorum abolenda contagia. Sed ô amantissime Domine, & sponse sanguinum, à te mihi proue-

nire

nire debet, vt cum his duobus viris magnificis hoc ministerium ad salutem animæ tibi præstare possim. Da igitur mihi, cum summa cordis contritione tuæ amaræ passionis memoriam agere, vt virtus tui pretiosi sanguinis per tua sanctissima Sacramenta ad veram pœnitentiam mihi communicata, me non solùm à reatu peccatorũ, verùm etiam ab omni mala inclinatione, & voluptate peccati, quæ multum mihi mœrorem adferunt, liberent; vt quod in te viuo & mortuo fuit, in me experiar. Amen.

PARS SECVNDA.

Erat autẽ in loco, vbi crucifixus es, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat, quod Ioseph ex integro lapide excidi curauerat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum (quia iuxta erat monumentum) posuerũt te Dominum meum Iesum. Quis, ô Domine, satis mirari poterit opera tua magnifica? quæ ita sunt temperata, vt nihil omnino sit neglectum, siue tuam humanam humilitatem, siue diuinam Maiestatem consideremus; quæ hîc ita simul concur-

runt,

runt, vt ne alteri parti quidquam desit. Profunda tua humilitas aperit sese in magna illa paupertate, quam Dominus omnium voluntariè assumpsisti. Et sicut in vita non habuisti, vbi caput tuum reclinares, ita & modò in alieno sepulchro reponi placuit, cùm nihil proprium habueris in terris. O si hanc in me experirer gratiam, qua nihil optarem in hoc sæculo, quod me deserat, sed omnem spem repositam haberem in futura vita quam apud te desidero in perpetuum! Da igitur Domine omnia temporalia despiciam propter te, quò tua præsentia contentus, in omnibus huius sæculi negotiis proximos mihi præferam. Non contristet me iactura bonorum fortunæ, quę sunt diuitiæ, honores, & similia; sed gaudeam, si quando spiritualis, cælestis, atque æterni boni lucrum faciam. Et quare affectem temporalium rerum proprietatem, quæ nil nisi solicitudinem generat? Præstat ne circa vnum, quod tu ipse es, versari ad inueniendam requiem animę, quàm occupari circa multa, quæ distractiones varias adferunt? Eia spes mea, refugium

meum

meum & virtus, da tecum pauper sim in terris, vt tecum in æternitate diuitias veras possideam. Amen.

PARS TERTIA.

POsuerunt te Dominum meum sindoni inuolutum ac aromatibus cõditum, in sepulchro nouo ex integro lapide exciso, sicuti tuam diuinam Maiestatem decebat. Quemadmodum enim à præclaris & magnificis viris es sepulturæ traditus: ita etiam in egregio & insigni sepulchro sepeliri debuisti; atque hoc, modo optimo. Verùm ô Domine, quis potest mente assequi, quãtum mysterium, quãtáve vtilitas in hac tua gloriosa sepultura lateat? Beatus, qui in spiritu experitur, quod Ioseph hic corporaliter peregit. Eia Domine, fac nos dignos, vt cum Ioseph ab Arimathæa te semper recipiamus in venerabili Sacramento; & vbi iam per fidem iustificati sumus in Baptismo, fac nos etiam esse iustos in cogitationibus, verbis & factis; simus diuites in operibus bonis, vt dignè regnũ tuum expectemus. O Pater misericordiarum, ego venio cum fiducia ad thronum diuinę Maiestatis ad

te vniuersorum Regem, petens humiliter, vt tuum mihi digneris retribuere filium, quem propter peccata mea tam dirè percussisti; vt illum præsentem intuendo, sine intermissione perpendam quanto pretio me redemeris, quò meipsum tāti faciam, quanti tu me fecisti, ne tam leuiter peccato aut creaturis tradam, quem tu pretioso sanguine Vnigeniti tui Filij acquisiuisti. O nunc anima mea, labora diligenter, curre instanter, nec te tædeat laboris, patienter sustine quasuis tribulationes & dolores, quamdiu Altissimo placuerit; exerce te in ieiunio & oratione, & aliis quibusuis misericordiæ operibus; clama post Deum Patrem omnipotentem, vsque dum ad Vnigenitum eius Filium tractus fueris. Vbi verò eum obtinueris, velut pupillam oculi custodi, in te reconde, & charitatis brachiis amplexare. Vt autem hunc thesaurum, ô Deus totius consolationis, diligenter custodiam, da gratiam, vt, abdicatis priùs voluptatibus, emam mundissimam sindonem, hoc est puram conscientiam ab omni peccati voluntarij labe detersam, vt ei Domi-

num meum inuoluam. Da quoque pręparem aromata, hoc est diuersarum odoramenta virtutum, quibus condiam corpus Domini mei; si non verum, saltem mysticũ corpus Christi inungam, hoc est multos instruam, atque ad exercitium bonorum operum prouocem, quò cum Apostolo tuo Christi bonus odor sim in omni loco. Amen.

PARS QVARTA.

PORrò, benignissime Deus, largire vt diligenter meditando in petra, quæ tu ipse es, orandoque deuotè, nouum tibi faciam sepulchrum. Da in operibus humanitatis tuæ cõtemplari Diuinitatem, atque in suscepti hominis infirmitate confiteri tuam Maiestatem, & tunc soliditatem petræ viriliter penetrabo, atque in huiusmodi spiritualibus exercitiis factus assiduus, quietis & pacis tumulum fabricabo; in quo, fide simplici, & ignita charitate cooperante, te sponsum meum inseparabiliter collocem. Tu enim familiariter requiesces in nobis, si ab humanis segregati aspectibus, in gratiæ tuæ tumulum ingressi fuerimus, vbi nullus terrorem in-

utiat, nec per aduersa nec prospera, nec per impatientiam nec superbiam. Sed tunc delectabimur in multitudine pacis, corpusque nostrum tuo Dominico corpori sociabitur, imò obliti omnium quæ foris sunt, feliciter admodū in hoc spirituali tumulo tecum requiescemus. In hoc Domine omnes meę deliciæ; hoc obtento, habebo omnia. Hinc desiderio venerabilis Sacramenti venio ad te, vt tu in me sepultus, omnem quietem & pacem, quantum possibile, comportes. Verùm ne quidquam incommodi patiar, propter obstrepentes exteriores tumultus, ingens saxum ad tui sepulchri ostium mihi aduoluendum est. Da igitur ô Deus diligentem ac perseuerantem adiiciam menti meæ custodiam contra fallacias dæmonū, mundi illecebras, & carnis lenocinia, quæ ex corrupta natura & sensuū abusu proueniunt; quò securus te animæ meæ thesaurum possideam, expectans fructus mysteriorum resurrectionis & ascensionis tuæ, atque sancti Spiritus consolationis. Interim verò Domine, cùm resurrectionis adueniat hora, parem compunctio-

nis

nis & deuotionis aromata, atque ea pilo pectoris tundam, conficiens inde vnguentum optimum ad reficienda corda infirmorum; & vngam proximũ meum vnguento patientiæ & humilitatis, vt ego ipſemet ex eo pacem & quietem inueniam. Nam ſi ego ita proximos meos inungam, odor iſtius ſpiritualis vnguẽti reflectetur ad me, vt ex eo gaudium & exultationem ſentiam. O Pater miſericordiarum, dignare hoc in me operari, vt tanto tranquillior ſim, ad vnionem tecum ineundam, dum in venerabili Sacramento te accepero; & pacatis ſenſibus per intellectum expendam, quid pro me miſerrimo peccatore tuleris & feceris, quò tu mecum, & ego tecum ſim hîc in gratia, & poſteà in gloria. Amen.



MEDITATIONES IN RESVRRECTIONEM IESV CHRISTI.

DIE DOMINICA.

MEDITATIONIS PRIMÆ PARS PRIMA.



DEVS Pater omnipotens, benedictio & claritas, gratiarum actio, virtus & honor tibi sit in sæcula sęculorum, qui hunc diem gloriosum fecisti resurrectione Filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui benè admodum commendauit spiritum suum in manus tuas paternas, dum in cruce moriens debitum humani generis solueret; rectè admodum (inquam) spiritum suum tibi commẽdauit. Nam qui in te sperat, non confundetur. Quare curam illius habuisti, non tantùm secundùm spiritum, verùm etiam secundùm carnem; quæ non magis est putrefacta in sepulchro,

quàm anima ſit derelicta in inferno. Nam ſpiritu in ſua paſſione dicebat illud Prophetæ (*Pſalm.* 15.) Prouidebam Dn̄m in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam nõ derelinques animã meam in inferno, nec dabis ſanctũ tuum videre corruptionẽ. O Pater de cęlis Deus, ſicuti hęc omnia in humana Chriſti filij tui natura ſunt peracta, ita da & mihi hæc in natura mea experiri; vt ſi quãdo per paſſionem & mortem Filij tui benedicti contriſter, per eiuſdem reſurrectionẽ renouari merear. Tibi reſigno, quidquid in me eſt ſecundùm ſpiritum, animam & corpus: tu totum hoc, ſicut Vnigenitum tuum Filium cuſtodi, vt in ipſo, per ipſum, & cum ipſo tibi ſemper repræſenter. Si enim cum ipſo fuero in labore, gratam etiam cum ipſo expectabo requiem. Quidquid in terris mihi eueniat, accipio in ſpe; vti benedictus Filius tuus ſpe reſurrectionis omnẽ contumeliam, paſſionem, & mortem ſuſtinuit. Nam omnia

nia noſtra in ſpe fundata ſunt. Qui arat, in ſpe arat ſeminandi & metẽdi granum ſuum; qui in ſtadio currit, fortiter currit propter brauium: qui ſpe lucri nauigat, immittit ſe mari: nemo quidquam arripit, niſi lucri cauſa. Hinc Propheta Regius: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Sicuti igitur vnigenito Filio tuo compẽſaſti paſſionem & mortem, reſuſcitans illum: ita & mihi ô Pater æterne compenſa omnem triſtitiam & dolorem meum, & huius cõpenſationis ſpem in me adauge, vt afflictiones & iniurias paruifaciã; & de ſpe certior factus, ita me a[illegible] cõuertam, vt in perſecutione & miſeria ſummũ gaudium inueniam, cogitãs iam rerum viciſſitudinem inſtare, vt pro mœrore gaudium expectem, vbi, ſi in lætitia eſſem, luctus me maneret. O amantiſſime Pater, vni me ita cum benedicto Filio tuo, vt in lętitia & triſtitia hoc ſemper in me ſentiam, quod & in ipſo; atq. ita tamquam ſponſa ſponſo coniuncta, aſſiduè cum illo te laudans atque glorificans, tibi ſemper prę̨ſens inueniri merear. Amen.

PARS

PARS SECVNDA.

O Iesu Christe, Deus Domine, hactenus in tristitia & dolore fui, memoriam agens benedictæ passionis & amaræ mortis tuæ : sed iam supra modum lætor & exulto iuxta verbum Prophetæ Dauid, dicentis : Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nam in die Paschæ cùm à morte resurrexisses, omnem dolorem & cruciatum obliuioni tradidisti, & lætus ac hilaris in alia vita apparuisti. Mors in te locum habere nequiuit, qui per temporalem mortem, æternam destruxisti. Sed iustum est, quòd gloriam resurrectionis inueneris. Nam hoc tibi debebatur via diuinæ iustitiæ, quæ deponit potentes de sede, & exaltat humiles. Posteaquam ergo ex charitate & obedientia Dei, te humiliasti vsque ad mortem, mortem autem crucis; erat planè necessarium, vt rursum ad gloriam resurrectionis exaltareris. Quare dicebas ad Patrem (*Psal.* 138.) Domine probasti me, & cognouisti me : tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Sessionem tuam cog-

nouit, id eſt abiectionem, patientiam, & tormenta tua. Sed cognouit reſurrectionem, hoc eſt gloriam nouæ atque æternæ vitæ. Poſſum ergo nunc eſſe in mœrore, cùm tu qui vulneratus fueras, es ſanatus; & mortuus, iam reuixiſti? Poſſum iam cogitare, te mei obliuione teneri, qui in afflictione & paſſione maxima, mei es recordatus? Eia Domine, conuertantur quæſo nunc cor & anima ex toto ad te, & viue ac operare in me pro tuo beneplacito, vt ſentiam in omni miſeria, tentatione & pugna, quòd tu à mortuis reſurrexeris, & viuas in æternum; ne hoſtis aduerſum me inſurgat, ac ſi tu iam mortuus obliuioni me tradidiſſes. Da vt ſpiritus & anima in te viuant, ſicut tu viuis in ipſis; ac de manu tua accipiant, quidquid etiam aduerſi ſenſerint, parati quotidie tecum pati, vt & tecum glorificentur. Et quando in corpore affligor, & in anima triſtor, da vt ſpiritus in te ac tecum renouatus, afflictionem corporis, & animæ triſtitiam indies patienter ferat, vt tandem ſimul tecum benè ſeſe habeant, & viuant in perpetuum. Singulariter au-

tem, qui nunc ad me venire dignatus es per venerabile Sacramentum, operare nunc in me, vt ego ex toto corde hilaris ſemel in me ſentiam, quantum gaudiũ tua ſanctiſſima reſurrectio mihi & toti mundo attulerit; ac eo ita afficiar, vt numquam huius ſæculi voluptati locum dem, nec vlla aduerſitate contriſter, ſed in ſpiritu ita recreer, vt in corpore & anima eius particeps innouationem ſenſuum experiar; quò abſtractus ab omnibus imperfectionibus ad virtutum perfectiones, in te pariter quotidie viuam, & vitam meliorem expectem. Amen.

PARS TERTIA.

VErùm ſponſe mellitiſſime, cùm reſurrectio tua neceſſaria eſſet humanæ tuæ naturæ renouandæ, & omnium noſtrûm cordibus exhilarandis; non diu illam diſtuliſti, ſed reſurrexiſti quàm citiſſimè, vt in fide diuinitatis nos omnes confirmares & confortares. Verùm vt corroboraremur in fide humanitatis & mortis tuæ, voluiſti tempus interponi inter mortem & reſurrectionem. Nam ſi non ſepultus rediiſſes

ad vitam, non fuisset mors tua visa vera mors, & per consequens nec resurrectio vera. Sed ad mortis veritatem comprobandam, satis fuit, vt ad tertium diem resurrectionem tuam distuleris. Non enim fieri poterat, quin tanto temporis spatio aliquod vitæ signum manifestaretur in eo qui mortuus præsumeretur. Ad hunc modum, ô Domine, si vmquam vitia parua aut magna incurrero, ne sinas me iis inhærere, sed citò resurgam, & redeam ad te, ne anima mea obdormiat in morte. Verùm tertia die resurrexisti in honorem numeri ternarij, qui perfectus est, & sanctificatur trinitate personarũ in Diuinitate, & in cunctis à te creatis reperitur. Quidquid enim creatum est, habet tria; videlicet principium, medium, & finem. Nunc ergo, ô Domine Deus, tu es principium meum. Nam tu me creasti cùm non essem, tu me redemisti cùm perditus essem, tu me lauisti & sanctificasti in tuo pretioso sanguine, tu ad me venisti in venerabili Sacramento, vt ista omnia in me renouares. Prętereà es finis meus. Tu namque es, & debes esse, quidquid

cogi-

cogito,loquor,aut ago;non debeo aliud intendere quàm te: quando tuo honori seruiui, quando te finem meum & conclusionem obtinui, habeo omnia. Verùm vt in me sentiam te principium meum & finem, sis etiam medium; vt viuas,cogites, loquaris, & opereris per me. Ego totum me commendo tuæ diuinæ prouidentię, vt sicuti tu ad me venire dignatus es per venerabile Sacramentum: ita mihi sis totus in toto, & vendices tibi imperium in me, ne vel caro vel sensus, ira vel concupiscentia, velle aut desiderare,ratio vel intellectus sibi quidquam assumat;sed tu solus mihi toti domineris pro tuo beneplacito, ne vnquam principio aut fine destituar. Si hæc in me sensero, verè mysterium resurrectionis tuæ sanctæ in me experiar. Præter hæc, mi Sponse, resurrexisti tertia die ad insinuandum, quòd per mortem tuam vnicam corporalem,nostram duplicem,videlicet animæ & corporis mortem destruxeris. Nam mors tua vnica, fuit lumen iustitiæ, quod operatus es pro nobis innocenter moriendo: sed mors nostra, tam

corporis quàm animæ, eſt tenebroſa propter peccatum. Ad hunc modum, mi Domine, deſtruat hodie lux tuæ iuſtitiæ tenebras iniquitatis meæ, vt in tuę glorioſæ reſurrectionis lumine ſit quidquid in me eſt. Hinc etenim vnam totam diem, & duas integras noctes in ſepulchro fuiſti. Inſuper indicaſti per hanc tuam reſurrectionem tempus tertium; quod iam per te die tertia reſuſcitatum, principium habuit. Nam fuerat tempus ante legem ſcriptam, quo omnes ductu naturę viuebant: & erat tempus ſub lege Moyſis, quā nullus mortalium ſeruare poterat: ſed iam tecum, & per te exordium habuit tempus gratię, quo à te ſolatium & auxilium habemus, ad operandum bonum, & malum declinandum, virtute Spiritus ſancti, & ad vincendos omnes inimicos. Non igitur iam ſequar motus naturales, aut prauos appetitus, nec operer bonum ex neceſſitate, aut timore ſeruili; ſed omnia ex charitate faciam, & ſequar te in cunctis vt filius patrem, reſpondendo diei gratiæ, & tẽpori ſalutis, quam per tuam reſurrectionem nobis attuliſti. Deniq.

demon-

demonstrasti nobis tertiũ statum, Sanctorum videlicet, qui te resurgente initium habuerunt. Fuerunt enim Sancti sub figura veteris legis, in quibus tibi complacuisti; sunt adhuc Sancti sub veritate fidei, qui ambulantes in fide tibi quoque placent: sed tertius & perfectus status Sãctorum est propriè in gloria æterna, quam tua sanctissima resurrectione inchoasti. Eia Domine, placuerunt tibi homines sub figura legis: da vt & ego tibi placeam in veritate fidei; & te per vnicam fidẽ in corde meo ita acceptem, vt coram te in me sentiam, quid tu vmquam pro me feceris, atque huic ita intendam, vt certitudine spei expectem consortium Sanctorum tertij status, videlicet eorum qui modò sunt in gloria, quam tu hodie tertia die resuscitatus inchoasti. Ad hoc succurre mihi & fer suppetias ô Pater misericordiarum, & largitor gratiæ, vt sic per tuam resurrectionem gaudium habeam in perpetuum. Amen.

PARS QVARTA.

PORrò Domine Deus, post mediam noctem resurrexisti, cùm nocte iam

transeunte dies appropinquaret. Nam sicuti vesperi dum tenebresceret, mortuus es, ad demonstrandum quòd morte tua tenebras peccati & pœnarũ dissipares: ita post mediam noctem, dum in proximo esset dies, resurrexisti, ad designandum quòd per sanctam resurrectionem nos educeres ad lucem gloriæ. Hinc primo die hebdomadę, qui & primus fuit in creatione, resurrexisti. Sed primus creationis dies transiit ad tenebras, cùm peccatum præuaricationis secutum est, sicut & nox. Verùm dies resurrectionis, qui est dies gratiæ, à tenebris, nẽpe à matutinis incepit. Tu enim es qui ex tenebris facis clarescere lumen, vt per gratiam noui Testamẽti, & communicationem tuæ resurrectionis sanctissimè audiremus illud Pauli (*ad Eph.* 5.) Eratis aliquãdo tenebrę; hoc est in peccatis viuentes; nunc autem lux in Domino, & hoc per nouam vitam, quæ est vita virtutum. Hoc ô Domine hodie in me operare per tuam sanctam resurrectionem; vt nocte peccati iam præterita, ego in die virtutum ambulem, intendens diligenter diei gratiæ, quæ ho-

die

die mihi per tuam gloriosam resurrectionem est orta, ne in vllo negotio excedam, nec vsquam offendam, sed ambulem in die gratię, donec ad diem gloriæ perueniam. Verùm vt de his certior fiam, da virtute diuini Sacramenti in me experiar fructus & vtilitates tuæ sanctæ resurrectionis, ac sentiam quod in me tu etiam resurrexeris, quò tu in me viuas non mortalis, hoc est secundùm carnem aut sensualitatem, sed immortalis, hoc est secundùm spiritum & intellectum. Nam si tu mortalis in me viuas secundùm carnem & sensus, facilè te per pusillanimitatem, impatientiam, superbiam, luxuriam, inobedientiam, & id genus alia vitia perdidero, vt resurrectio tua mihi nō profuerit. Quare necessarium est, vt nunc deinceps à mortuis resuscitatus in me secundùm spiritum & intellectum viuas, ne dolor aut tristitia, tentatio aut tribulatio, diabolus aut mors à te me separet; sed in omnibus, si quæ secundùm carnem aut sensus mihi eueniant, ad spiritum & intellectum me conuertam, atque ibidem te immortalem inueniendo, benè ani-

matus tecum viuam, expectans consolationem exterioris hominis, quò hîc tandem spiritus ab omni miseria liberatus in libertate viuat & exultet. Hoc ô Domine Deus est desiderium meum, quò per tuum salutarem ad me accessum in sacrosancta Eucharistia, gratiam tuam in me experiar, & sentiam quòd tu hodie in teipso operatus sis omnium nostrûm iustificationem; & hæc ipsa iustificatio in anima mea operetur, vt peccato iam in me per mortem tuam mortificato, vita virtutum cum tua sancta resurrectione in me inchoëtur; & iam superbia deuicta, humilitas in me viuat; iracundia & impatientia declinatis, mansuetudo & patientia in me locum habeant; murmure & inuidia superatis, sola charitas mihi dominetur: porrò sensualitate & obstinatione profligatis, obedientia in me vigeat & florescat. Propterea enim à mortuis resurrexisti, vt ego peccato mortuus, virtuti tecum viuerem. Hinc etiam ad me venisti per venerabile Sacramentum, vt peccato in nihilum redacto, tu me in vita virtutum confirmares. Eia igitur

Do-

Domine, ſis in me & mecum, viuas in me & mecum, vt & ego tecum ſim, & viuam in perpetuum. Amen.

Secunda MEDITATIO, *de qualitate* CHRISTI *reſurgentis*.

PARS PRIMA.

TE nunc decet hymnus Deus in Sion ex parte reſurrectionis tuæ, per quam noſtram naturam tantopere nobilitaſti, ſpem reſurrectionis animæ & corporis nobis conferens. Tu enim reſumpſiſti idem corpus, quod in cruce pro nobis datum, ſepulturæ traditum fuit, tuum (inquam) verum corpus, eiuſdem ſubſtantiæ, ſed alterius gloriæ. Quare quibus manifeſtatus es, manifeſtaſti te ipſum ſecundùm propriam voluntatem, alijs in forma hortulani, aliis in forma peregrini, & aliis alio modo. Eia igitur Dñe, qui ad me veniſti in venerabili Sacramento, oſtende quòd idem ſis, qui pro me in cruce mortuus, & ſepulturę traditus es: conſolare me, & gaudio magno me ſuffunde, ſicuti in illo tempore diſcipulos

tuos exhilarasti, & consolatus es. Deglutiat corpus tuum corpus meum, cui per venerabile Sacramentum associatum est; auferat à me omnes passiones & morositates, omnem impatientiam & superbiam, vt simplex, fortis, & imperterritus cuncta mihi euenientia excipiam, vndecumque etiam proueniant; vt per te semper vnus & idem permaneam, in patientia, humilitate, & obedientia, ne vmquam aut anxietate, aut pauore, aut tristitia, aut dolore perturber, sed cuncta transeam, ac si me non concernerent, & carni mortuus spiritui tantummodò viuerem; sicuti erit post rerum omnium innouationem, quam nobis tua gloriosa resurrectione attulisti. Hoc nunc amantissime Domine in me operare, vt caro spiritui, ac sensus intellectui post tuam resurrectionem subiiciantur; & ego in me sentiam quòd tu es, & manes in perpetuum, vt & ego in te, & per te innouatus, in virtute perseuerem in æternum. Amen.

PARS SECVNDA.

INteger Domine, plenus atque perfectus resurrexisti à mortuis, vt bene-

dicto corpori tuo nihil deesset. Nobis etenim promisisti, ne pilum capitis nostri periturum, cùm omnes capilli capitis nostri numerati sint. Tu ergo non potuisti deficere in eo de quo nos securos reddidisti, quin ossa, caro, sanguis, & quæcumque perfectionis humanæ sunt, perfecta in te fuerint. Cùm igitur & ego modò talem te in venerabili Sacramento acceperim, operare quæso per tuam humanam atque diuinam præsentiam; vt quidquid in me infirmum & fragile, per te firmum & stabile fiat. Secundùm animam conforta in me tres facultates, memoriam videlicet, intellectum & voluntatem. Memoriam confirma, vt mecum expendam opera tua mirabilia, quò cunctas vanitates obliuioni tradam. Intellectum meum illumina, quò tecum vnitus, perfectè contempletur, ac in se sentiat, quod in te est, vt tecum quasi vnum factus prælibationem experiatur eorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, & post hanc vitam nobis perfectè aperientur. Voluntatem meam planè conforma tua

diuinæ volũtati, ne vlla re ad gaudium aut tristitiam plus mouear, quàm placitum fuerit ante te, sed cũ tuis sanctissimis mandatis semper conueniam. Inferiores etiam animę vires in me adimple, videlicet, rationem, iram, & concupiscentiam, quò ratio mea lumine rationis tuæ illuminata numquam aliud quàm iudicium tuum intẽdat. Ira mea, tua diuina iustitia temperetur, ne vmquam citra rationem irascar. Concupiscentiam etiam intra limites contine, ne præter necessitatem quid appetat, sed magis cælestibus quàm terrestribus inhiet; vt quò hîc plura relinquit, eò potiora & ampliora posthac inueniat. Sed in corpore meo innoua carnem, ossa & sanguinem, & cuncta huc spectantia, quò omnia & singula temperentur ad gloriam nominis tui summam, animæ meæ salutem, & proximorum meorum vtilitatem, ne in vllo cuipiam placere studeam nisi tibi, qui hæc omnia nobis donasti. Atque ita in me sentiam tuæ sanctæ resurrectionis fructum; vt sicuti tu perfectè surrexisti à mortuis, sic & ego perfectus in te permaneam, quò

omnia

omnia quæ intra me ſunt te expectent, ac ſeruiant in gratia, vt tecum participent, ac laudem tuam annuntient in gloria. Amen.

PARS TERTIA.

BEnedictio & gratiarum actio tibi ſit Domine. Tu enim glorioſa tua reſurrectione, cauſa es noſtræ futurę reſurrectionis, non propriè cauſa meritoria (nam hoc nobis dira paſſione, & amara morte promeruiſti) ſed effectiua & exemplaris, quæ propriè tamquam inſtrumentum Diuinitatis operabitur noſtram reſurrectionem in nouiſſimo die. Te namque decet mortuos viuificare. Nam virtus tua vbique præſens attingit omnia loca & tempora, & talis contactus virtualis ſufficit ad rationem huius efficientiæ. Tuba enim canente nouiſſima, omnes reſument corpora, ſicuti mane è ſomno expergefactus induit homo veſtimentum ſuum. Et quia prima cauſa reſurrectionis humanæ eſt diuina iuſtitia, ex qua habes poteſtatem iudicium exercendi, in quantum Filius hominis es; virtus effectiua reſurrectionis tuæ ſe extendet non ſolùm ad

bonos,

bonos, sed etiam ad malos, qui sunt tuo iudicio subiecti. Verùm vt inter bonos & pios computari merear, libenter tecum ago atque vnionem ineo per venerabile Sacramentum, vt per hanc societatem, tuam gratiam consequar, & beneuolentiam in terris captem, quæ in perpetuum mihi continuanda sit in cælis. Trahe itaque me in te Domine, sim tecum vnũ in gratia, vt inter omnes pios experiar tuam resurrectionem esse etiam causam exemplarem nostræ resurrectionis, qua videlicet sum ad formam tuam resuscitãdus. Nam sicut resurrectio corporis tui, ex eo quòd personaliter corpus tuum Verbo vnitum, est prima tempore, ita etiam est prima dignitate & perfectione; ad quã nemo peruenire potest, sed quilibet eam pro sua conditione & vocatione imitabitur, prout Pater cælestis ei concesserit. Non quòd Pater cælestis hoc exemplari indigeat, sed nos indigebamus te exemplari causa, quos oportet tuæ resurrectioni conformari, tam in corporis quàm animæ resurrectione, secundùm illud Pauli (*ad Philip. 3.*)

Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Eia igitur Domine, fac ex tuo & meo corpore vnum virtute diuini Sacramenti, per quod ad me venire dignatus es, vt resurrectionis ad iustificationem nostram, me certiorem faceres. Verùm si hoc experiri debeam, necessariò te in me operari ante omnia oportet resurrectionem animæ, vt hæc tibi in resurrectione conformetur. Eia itaque sponse mellitissime, trahe me tamquam sponsam post te, & secundùm exteriorem hominem cõforma me diræ morti tuæ, vt ego peccatis, vitiis & infirmitatibus cunctis mortuus, nunc tuæ sanctissimæ resurrectioni, secundùm gratiam iustificationis, quam hodie operatus es, conformer; vt sicut tu resurrexisti à mortuis per gloriam Patris, ita & ego in nouitate vitæ ambulem: & sicut tu resurgens ex mortuis, non moreris ampliùs; ita & ego me existimem peccato mortuum, vt tibi viuam. Hoc ô Domine operare in me, vt in anima quotidie de tua resurrectione gaudeam, & hoc cum spe, vt par-

tem habeam in resurrectione iustorum, quò tamquam filius tuus ex hac miseria migrem ad gloriam, & ex tribulatione ad gaudium, vt tecum in anima & corpore participem. Amen.

PARS QVARTA.

IAm autem, ô Saluator piissime, resurrexisti cũ cicatricibus vulnerum, in manibus, pedibus & latere benedicto asseruatis, non ex infirmitate aut impotentia, sed ex magna erga nos dilectione, & ad gloriam singularem. Vnde dicebas Thomæ, vt inferret digitum in loca clauorum, & manum mitteret in latus tuum. Has cicatrices in perpetuum circumferes ad sempiternum victoriæ triumphum, quem in cruce, per humilitatem, patientiam, & obedientiam obtinuisti. Reseruasti eas (inquam) non tamquam infirmitatem aut imperfectionem, sed tãquam gloriam magnam, cùm ex locis illis clauorum, singularis claritas & maiestas patebit, tamquam signa virtutum, quæ summũ nobis gaudium adferent. Da mihi Domine commorari in hisce tuis vulneribus, atque ita amarę passionis memoriam agere, vt

tandem in gloria & gaudio, tecum participem. Verùm ex ingenti amore has cicatrices retinuiſti;idq. multis de cauſis: quarum prima eſt, vt Patrem orares pro nobis, eaſque ſine intermiſſione illi exhiberes, ad demonſtrãdum quo mortis genere pro nobis miſeris peccatoribus mori dignatus ſis, atque ita ipſum ad miſericordiam nobis præſtandam prouocares. Sentiam quæſo Domine indies, quòd loca clauorum retinueris, ne obliuiſcaris mei, pro quo tantopere laboraſti, ne tua benedicta paſſio & amara mors ſuo fructu priuetur. Nam ſi tu per haſce cicatrices vulnerum mei recordatus fueris, non obliuiſcetur mei Pater tuus cæleſtis. Ipſe enim honorat, adiuuat & conſolatur, quotquot in te inuenerit. Secundò hæc loca clauorum retinuiſti, vt omnibus tua morte redẽptis oſtenderes, quàm miſericorditer eos redemeris. Ne igitur hæ cicatrices vmquam eruantur ex corde meo, ſed ſemper, quotieſcumque manducauero vel bibero, quamuis partem & bolum in hiſce cicatricibus intingam, ad guſtandum hîc ſemel amorem, cuius ple-

nitudine post hanc vitam satiandi erimus. Tertiò tandem has cicatrices retinuisti, vt in nouissimo die omnibus impiis demonstrares quàm iustè damnentur. Quare S. Augustinus (*lib. 2. de Symb. cap. 8.*) dicit te benè sciuisse quare cicatrices illas seruaueris. Nam sicuti Thomæ credere nolenti nisi tangeret & videret, ea exhibuisti, ita & inimicis tuis aperies, dicens in illo die; Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluisti. O Domine, custodi me à generatione hac. Fac me patientem, pium, atque benignum, vt te in patientia expectem. Hinc ad te accessi, & accepi te in venerabili Sacramento, vt à te scilicet recipiar in tuis sanctissimis vulneribus, quò ibi sentiens amorem tuum inexplicabilem erga me, igne tui diuini amoris inflammer, atque ita pro mea humana fragilitate te diligam, sicuti tu amore perfecto me es prosecutus. Recipe igitur me in hisce vulnerum tuorum cicatricibus,

vt in die iudicij intra illas abſcondar, donec furor tuus tranſierit, & iuſtitiæ ſententia pronuntiata fuerit, quo in vera ac ſincera charitate tecum ſim, & permaneam in perpetuum. Amen.

Tertia MEDITATIO, *de manifestatione* DOMINI *poſt reſurrectionem.*

PARS PRIMA.

QVandoquidem benigniſſime Deus & Domine poſſibile non eſſet, vt homo mortalis videret te reſurgentem à mortuis; neceſſarium erat, vt in tuæ reſurrectionis notitiam deueniremus, primùm per Angelos, ac deinde per tuam ipſius manifeſtationem, qua teipſum iam reſuſcitatum notum feciſti. Hoc enim tuæ diuinitatis ordo poſtulat, vt rerum quæ ſupra nos ſunt, per Angelos certiores reddamur. Cùm igitur iam à mortuis reſuſcitatus non redieris ad vitam communem, quæ mortalis eſt; ſed ad vitam immortalem, qua Deo conformis viuis; non debebas videri ab hominibus in

ipsa resurrectione, sed per Angelos resuscitatus annunciari. Vnde mulieribus dicebant: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hîc. ecce locus vbi posuerunt eum. O Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra, quòd tu Deus omnium, nos filios hominum tanti feceris, vt Angelorum visione dignos duxeris, ad dirigendum & erudiendum nos per eos, in omnibus quibus Ecclesia tua indigebat. Eia igitur Domine da gratiam, vt hoc tempore cum Angelis conuersationem habeam, & homines obliuioni tradam: atque ita me præparem ad perfectionis intelligenda mysteria, quæ Ecclesiæ inspirata nobis per cæremonias, quasi in tenebris aperiuntur. Hinc fiet, vt tu iam à mortuis resuscitatus, perfectiùs opereris in anima mea, ad declarandum mihi indies spiritualiter tuam sanctam resurrectionem; quò ego singulis horis, imò quouis momento, spiritu innouatus, mundo & carni mortuus, tibi soli viuam. Verùm iam ad vitam reuersus, non manifestasti te nec per Angelos nec

per

per teipſum omnibus hominibus, ſed teſtibus à Deo Patre præordinatis, vt per eos ceteris omnibus annuntiareris, iis videlicet qui ad vitam prædeſtinati erant. Atque ita innotuiſti ſponſæ tuæ matri noſtræ Eccleſiæ, quæ in fide confortata exultat & lætatur in reſurrectione tua, & ſtudet quotidie tibi conformari magis, vſque dum, hoc mortalitatis pelago enauigato, in corpore & anima ſimul tibi cõformis reddatur. Quod & ego tamquam filius matris Eccleſiæ ſpero. Quare indies me huc conuerto per vſum ſanctorum Sacramentorum, vt tamquã filius obediens tibi placeam, hîc in gratia, & poſteà in gloria. Adiuua igitur me Domine, & cuſtodi in me gratiam tuam, qua hæc omnia in anima primùm diligenter exerceam, & poſteà in corpore etiam de tua reſurrectione gaudeam in perpetuum. Amen.

PARS SECVNDA.

POſteàquam, Domine, iam reſurrexiſſes à mortuis, non fuit tibi conuerſatio aſſidua cum diſcipulis, vt eos in fide reſurrectionis tuæ ſanctæ confortares. Nam ſi continuò cum illis

conuersatus fuisses, arbitrati essent te ad vitam mortalem rediisse, sicuti & nos præsentem vitam discernere à futura decet. Non enim hîc tanta perfectio esse potest, quanta ibi, quando toti ad te conuersi, sine fine tecum erimus. Hîc accedis, & recedis; accedendo exhilaras nos cum discipulis, & recedendo contristas (quod nos imperfecti maximè experimur.) Non enim hîc semper in eodem statu permanemus, sed rerum vicissitudinem esse oportet pro huius vitæ conditione. O Domine, da mihi horum intellectum, vt sic vitam ineam discipulis tuis conformem. Et si quandoque recedas gaudium nobis auferendo, mane tamen secundùm gratiam; & ad tristitiam cordis mitigãdam redi interdum. Ita enim cum charissimis discipulis egisti. Tu aliquando ad eos venisti; & vt à principio eos in fide resurrectionis confortares, vel quinquies ipso die Paschæ teipsum eis manifestasti. Nam præter hoc quòd benedictam Matrem tuã ante omnes proculdubiò consolatus es, manifestasti teipsum primò Mariæ Magdalenæ in forma hortulani

lani (*Ioan.* 20.) Nos enim peccatores quotidie habemus rigare hortũ noſtrũ, & ex eo tribulos & ſpinas eiicere, hoc eſt peccata noſtra; ex quibus faciemus aggerem vel ſepem, vt huc reſpicientes, ſpiritum ſuperbiæ à cordis noſtri horto excludamus. Beatæ autem Mariæ Magdalenæ primùm ante omnes ad ſolatium omnium peccatorum pœnitentia ductorum apparuiſti. Eia igitur Domine, noli obliuiſci mei miſerrimi peccatoris, ſed aperi teipſum mihi per diuinam gratiam, vt cum Maria Magdalena memor ſim hortum meum expurgare ab omni concupiſcentia, murmure, prauis cogitationibus, porrò ab omnibus vitiis & peccatis, quæ in cumulum cõgregem, & cor quaſi vallo & propugnaculo muniam, vt ad infirmitates & mala reſpiciens, nunquam meipſum exaltem, ſed meritò confuſus omnes homines mihi præferam, & abſtineam à peccatis, quæ toties in me dominium habuerunt. Secundò apparuiſti mulieribus redeũtibus à ſepulchro (*Matthæi* 28.) & per Angelos de tua reſurrectione iam admonitis, inter quas etiam

erat Maria Magdalena, vt te peccatores pœnitentes non respuere declarares. Cùm ergo obuiis mulieribus diceres, Auete; accesserunt illæ & tenuerunt pedes tuos, & adorauerunt te. Atque tunc dicebas illis: Nolite timere (nam cum timore exierant de monuméto) ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilęam, ibi me videbunt. Eia Domine, sicuti has mulieres dignas duxisti prima manifestatione, ita & mihi creaturæ miserrimæ scintillam gratiæ impartiri dignare, quò in anima, beneficia hisce mulieribus pręstita, sentiam. Saluta me ad harum exemplum in spiritu, vt pèr tuam piam salutationem, quam in sumptione venerabilis Sacramenti experiar, ad te veniam, ac teneam pedibus, hoc est charitatem tuam erga minimos quosq. declarem, in quibus te assiduè honorem, atque ita sine tædio adorem. Si hęc agam, consolaberis me in omni tribulatione mea, & confortabis, vt intrepidè quotidie tuum ministeriũ adimpleãm. Tertiò visus es Petro, pro quo Angelus quoque solicitus mãdabat mulieribus, vt ei tuam resurrectionem nuntiarent.

Tu

Tu enim es amicus peccatorum pœnitentiam agentium, qui non vis mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Quod me etiam multùm conſolatur, qui toties & tam facilè labor, & cogitatione citiùs indignationem tuam incurro. Sed, ô Domine, noli hoc peccatum mihi imputare, ſed reſpice me cum Petro, & remitte mihi omnia peccata mea. Manifeſta teipſum mihi toties, quoties ad me per venerabile Sacramentum diuerti dignaris: adiuua infirmitatem meam, & conſolare me in miſeria mea cum Petro, nè in malitia perſeuerem, aut per inordinatam triſtitiam in deſperationis foueam incidam. Quartò apparuiſti ipſo die Paſchę euntibus in Emmaus, qui multùm imperfecti deſponderãt animum poſt paſſionem & mortem, cùm dicerẽt; Nos ſperabamus quòd ipſe eſſet redempturus Iſraël; cum quibus tamquam peregrinus & planè ignotus ambulabas, vſque dum ex fractione panis te cognoſcerẽt. Verùm multas & bonas cõditiones habebant, quòd videlicet loquerentur de te, & tibi licet ignoto compaterentur.

Vnde tu appropinquans ibas cum illis, talis exteriùs, qualis intus eras in cordibus ipsorum; vt intus cor illuminando, foris teipsum tandé manifestares. Oculi eorum tenebantur, ne te agnoscerent; sed corda eorum magis ac magis charitate accendebantur; donec te cogentes secum tãquam hospitem ad hospitium ducerent, vbi mensæ accumbentes ex fractione panis te cognouerunt. Quo facto, euanuisti ex oculis eorum, vt ipsi ad se reuersi, dicerent: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret Scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes quòd verè surrexisses, & apparuisses Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt te in fractione panis. Eia Domine, da vt cũ hisce discipulis ambulem, quò in omni tristitia & miseria cor ad te conuersum habeam; loquar de te, & compatiar tibi, qui maxima tristitia & doloribus plenus fuisti, quò & ego in omnibus operibus meis ex toto corde

tecum ſim. Nam ſi tu mecum fueris, & ego hoc ipſum ignorem, tandem te ipſum aperies, vt te eſſe cognoſcam. Et ſi toto die oculi mei teneantur, ne te agnoſcã, non veniam ad veſperum, niſi priùs te cognouero. Aperiantur mihi oculi, quotieſcumque te in venerabili Sacramento recepero, vt vel tunc ſaltem imperfectiones & infirmitates meas animaduertam, quò profundiùs me ſemper humiliem, & perfectiùs te cognoſcam. Quintò aperuiſti te eodem veſpere vndecim congregatis, & ſedentibus ianuis clauſis, quando Thomas non erat cum eis. Tunc intraſti ad eos confirmans dicta, quæ diſcipuli ex Emmaus venientes nuntiauerant, & ſtans in medio eorum dixiſti: Pax vobis: & oſtendiſti eis manus & latus, & confortans conſolatus es eos, & in commodum proximorũ largiens Spiritum ſanctum, aperuiſti illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, & dediſti eis poteſtatem remittendi peccata, atque hæc omnia ex mera charitate egiſti: tu namque promiſeras illis, dum adhuc viueres nobiſcum, quòd te in Galilæa viderẽt: verùm

amor inexplicabilis erga tuos præuenit illud tempus, vt antequam domo exirent, atq. clausis ianuis adhuc sederent, eos inuiseris. Quis, ô Domine, potest cõqueri de tua bonitate, quòd promissis non steteris; qui adimplendæ promissionis tempus benignè præueniens, discipulos tuos consolatus es? Ita etiam (spero) nobiscum ages. Promisisti nobis perfectam in vita futura consolationem; verumtamen confido de bonitate tua, quòd præuenies promissionem tuam, & aliquid solatij nobis imparties in vita pręsenti, quò miserias & dolores huius sæculi faciliùs perferamus, & in bonum finem deducamus. Sed quantum gaudium illis fuit, vbi iam cum lętitia tua sanctissima vulnera intuerentur, quæ tanto cum dolore perpessus fueras? Hoc pacto nobis miseris peccatoribus, & maximè mihi miserrimæ creaturæ te manifesta. Reminiscere Domine, ac si hodie esset dies ille Paschæ, quo à mortuis resurrexisti; & exhibe mihi peccatori grauissimo tuã diuinam præsentiam per venerabile Sacramentũ, sicuti discipulis tuis charissi-

mis te viſibilem præbuiſti. In medio mei, hoc eſt in corde meo, fac pacem habeant omnia quæ intra me ſunt, vt ſenſus & caro obediant intellectui ac ſpiritui. Si quandoque hoſtis interior, caro videlicet, me contriſtet aut grauet; oſtende mihi vulnera tua benedicta, & ad ea reſpiciens, tentationũ obliuiſcar. Conſolare etiam me virtute diuini verbi, & gratia, quam hodie in remiſſionem peccatorum nobis contuliſti. Verùm ſicuti in ipſo die Paſchę quinquies te manifeſtaſti diſcipulis, ita me hodie vel quinquies conſolari dignare per tuam præſentiam in venerabili Sacramento; vt gratiam quam operaris in anima, etiam in vſu quinque ſenſuum experiar, quò vtar illis in omni ſanctitate per abnegationem mei ipſius. Ita Domine manifeſta te ipſum mihi, vt tibi ſoli nunc deinceps viuam. Amen.

PARS TERTIA.

POſt hæc, ô Domine, vbi iam in fide reſurrectionis diſcipulos confirmaſſes, non eis toties, quoties antè, viſus es: & quamuis frequens eſſet tibi cum illis conuerſatio, quò eis ad ſola-

tium pias admonitiones dares; quater tamen, quantum ex Euangelio patet, post diem Paschæ teipsum aperuisti. idque ad cõmunem omnium nostrûm vtilitatem, ne videlicet pusillanimes reddamur, aut despondeamus animum, si quando perfectam consolationem in nobis non sentiamus. Hinc vel octo dies transierunt post diem Paschæ, antequam ad discipulos redires, quod singulariter propter Thomam factú cognoscimus, qui nolebat credere, nisi tangeret & videret. Vt igitur ille magno tui videndi desiderio teneretur, ad octauum diem reditum tuum distulisti, & ad hunc solum recuperandum rediisti, qui aliàs perditæ salutis fuisset. Venisti ergo ianuis clausis, & stetisti in medio eorum, & dixisti: Pax vobis. Deinde dixisti Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum. Est ne hoc signum maximæ misericordiæ, quo iam immortalis factus, præbes benedicta vulnera tua contrectanda? Omnino sanè: sed hoc fecisti in solatium omnium nostrûm, & in corroborationem

fidei

fidei reſurrectionis tuæ, vt Thomas tangendo hæc ſanctiſſima vulnera carnis tuæ, vulnera nôſtræ infidelitatis ſanaret. Imò hoc permiſiſti, vt nobis omnibus liberiorem ingreſſum in tua ſanctiſſima vulnera faceres, tamquam ad thronum gratiæ, ad illa indies attactu cordis contingenda, vt deuotionem & feruorem nouum charitatis acquiramus, quotieſcumque tecum vniri voluerimus. Septimò viſus es diſcipulis ad mare Tiberiadis piſcantibus, vbi tota nocte laborantes nihil ceperát. Tunc mane facto ſtetiſti in littore, & dicebas: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. Et vbi deſcenderunt in terrã, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum & panem. Ac dicebas eis: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nüc. Aſcendit Simon Petrus & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus; & cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Et dicebas eis: Venite, prandete. & accepiſti panem, & dabas eis, & piſcem ſimiliter.

Sed

Sed debebant adferre de piscibus quos ceperant. Nam hac manifestatione designasti electos, ad æternam in cælis gloriam prædestinatos; vbi quilibet habebit gloriam, non tantùm à te qui es primus & summus gloriæ auctor & causa, verùm etiam ab omnibus aliis, quos tibi in gloriam adduxit. Quò igitur quis plures animas lucrifacit, eò maiorem habebit gloriam. Rete autem non est scissum, quia nullus ibi peribit. Sentiam, ô Domine, hodie in anima mea talem manifestationem: & quando in tristitia & labore multas infrugiferas lacrymas emisi, tu te mihi manifesta, & da vtiliter & cum salute, mala mea defleam; quò meditatio sacrosanctæ vitæ ac passionis tuæ cum cõsideratione vitiorum & peccatorum meorum coniungatur, & simul fructum in me faciant, vt sic tecum semper prandeam, & vitam tuam immortalem in me experiar, & tu semper in me viuas, quomodocumque etiam mecum agatur; atque ita locum in numero electorũ tuorum habeam, ne quispiam me de manibus tuis eripiat. Verùm vt

hoc fiat, videam quomodo hic piſcis ſuper carbones poſitus, & panis cum eo. Et quis eſt hic piſcis aſſus? Tu ſponſus meus, qui ad ignem charitatis aſſatus, in nobis, poſt hanc vitam, eam perficies. Et quis alius iſte panis quàm tu? qui es panis Angelorum, totum cæli exercitum confortans ac renouans, qui es panis viuus deſcendens de cælo, & das vitam mundo. Eia igitur ſponſe mellitiſſime, qui hic idem piſcis aſſus, & panis, me hodie ex gratia corroboraſti, fac me huius ignis participem, vt hic piſcis & panis mihi ſapiant, quò hîc in gratia extremis labiis guſtem dulcedinem, cuius abundantia in gloria poſt hanc vitam ſatiabimur: atque ita ſpem concipiam, quòd ſicut tu nunc dicebas diſcipulis, Venite, prandete; ita & ego inter omnes electos audiam vocem illam amœniſſimam, Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod paratum eſt vobis ab origine mundi. Octauò aperuiſti te in Galilæa in monte, quem conſtitueras illis. Promiſeras enim ipſis, quòd hîc te, poſtquam reſurrexiſſes, viderent. Verùm charitas tua

nimia omittere nequiuit, quin ante illud tempus tristes tuos discipulos consolatus fueris, seruata tamen promissione, quam hodie adimplesti. Quare & Angelus (*Mar.* 16.) dicebat mulieribus: Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi cũ videbitis, sicut dixit vobis. Da mihi Domine, hoc exemplo edocto, fraternam colere charitatẽ. Si cui quid promisero, reddam: & si ante constitutum tempus iuuare potuero, hoc facere non negligam, vt sic me filium tuum declarem. Nonò & vltimò te manifestasti, cùm iam ascensurus ad cælos, eduxisti eos in Bethaniam, vbi post multos sermones de regno Dei, benedixisti eis, & nubes suscepit te ab oculis eorum. Atq; ita quadraginta diebus aliquando apparendo, consolatus es discipulos tuos. Et hoc non rariùs, quia crebra erat tibi cum eis conuersatio. Vnde & Paulus (1. *Cor.* 15.) meminit aliarum apparitionum, quarum nulla fit memoria in Euangelio. Quia (inquit) visus est plus quàm quingẽtis fratribus simul. Deinde visus est Iacobo, quod factũ arbitra-

mur

mur ipso die Paschę. Sæpiùs ergo apparens consolatus es eos, instruens illos de omnibus. Verùm non fuit tibi continua conuersatio cum illis, sicut ante mortem; & hoc ad insinuandam differentiam vitæ præsentis & futuræ, & ad stabiliendos nos in fide resurrectionis, in qua tota Christiani hominis vita posita est. Eia igitur Domine, hanc fidem in me conforta, ne vmquam despondeam animum, ac si tu mortuus esses; sed in omni tribulatione & desolatione augeam mihi animum, cogitans te viuere, & in auxilium mihi venturum, quando tuæ sanctissimæ voluntati placuerit; qui etiam absque dubio succurres mihi, sicuti sæpiùs præter meritum & sola misericordia tua adiuuisti me, & consolatus es. Quemadmodum ergo discipulos præcessisti in Galilæam (quod significat transmigrationem & reuelationem) ita & me præcedere dignare in omnibus. Præcessisti eos in transmigratione à Iudæis ad gentes, & præparasti eis viam in gentium corda, quò fructum ibidem facerent. Præcedas quæso & me, quoties trans-

itum facturus sum ex carne in spiritum, ex sensualitate in intellectum. Si enim hanc gratiam consequi debeam, necesse est, vt tu præcedas me, & viam præpares. Quantum verò ad reuelationem, quam etiam Galilæa significat, præcessisti eundo ad Patrem, & non dereliquisti nos. Reuelasti enim sponsæ tuę charissimę de tua gloria & Maiestate, quantum illi necessarium duxisti; & iam præmissus, omnia posthac nobis instillabis, & aperies, quid quàm perfectissimè in gloria futuri simus, qui nobis ibidem præparasti, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Ad hęc, ô sponse mitissime, anhelem quotidie; vt hæc cogitando, omnem vanitatem, morositatem & phantasmata extranea planè obliuioni tradam. Amen.

PARS QVARTA.

CVm iam quadraginta dies post mortem adhuc in terris mansisses, ad sanctum illum discipulorum cœtum, & nos cum ipsis in fide resurrectionis confortandos, vsus es adhuc testibus & signis sufficientibus. Vsus es

testi-

testimonio duplici, sanctorum videlicet Angelorum, & Scripturæ sacræ, quam discipulis aperuisti, declarans quòd omnia essent implenda, quæ de te in lege Moysis, Prophetis & Psalmis dicta fuerant, & quod ita oporteret te mori, & resurgere à mortuis tertia die, & prędicari in nomine tuo pœnitētiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo à Ierosolymis, vti mox factum est. Verùm quantum ad signa & argumenta, sufficienter probasti resurrectionem, tam secundùm corpus quàm animam. Quantum ad corpus, tribus modis resurrectionem tuam cōfirmasti. Primùm ostendisti corpus tuum esse verum & firmum, ac non phantasticum, aut quod cedat citra sensum ad instar aëris. Quia præbuisti corpus tuum palpabile, cum diceres: Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere (*Luc.* 24.) Secundò docuisti corpus tuum esse humanum, cùm veram hominis effigiem exhiberes, quam etiam oculis carnalibus intueri poterant. Tertiò demonstrasti idem esse

corpus quod in cruce pro nobis obtuleras, dum fixuras clauorum ostendendo diceres: Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. O sponse mellitissime, da, vt ego hæc ipsa signa in me reperiam, ex quibus colligam me tecum secundùm animam resurrexisse à mortuis. Da igitur mihi validum & firmum corpus, quod pro te pati non refugiat, & fortiter repellat honori tuo diuino contraria. Verùm vti tu declarasti humanam formam, ita & ego sim in omnibus mihi agendis humanus, quò in omnibus operibus meis inueniar rationalis, & in animo humilis, agnoscens etiam meas ipsius infirmitates: vt sic per alterum à peccatis præseruatus, in virtutibus progressum faciam; & per alterum, in cunctis operibus bonis perseuerem. Sed quemadmodum tertiò ostendisti tuam sanctam & veram resurrectionem, eò quòd haberes idem corpus in patibulo crucis suspensum; ita maneam semper idem in aduersa & prospera fortuna, in tristitia & gaudio, in vtendo & carẽdo; nec vmquam mutationi locum dem, sed semper in

eadẽ fidei, ſpei & charitatis perfectione permaneam. Si hæc in me comperiam, certus ero, quòd ſecundùm animam tecum reſurrexerim. Secundùm animã verò docuiſti reſurrectionem tuam per triplicis vitæ opera, ac primùm quidem per opera vitæ nutritiuæ, eò quòd cũ diſcipulis chariſſimis manducaſti & bibiſti. Vt autem ego animæ meæ reſurrectionem ſentiam, da mihi quotidie manducare cibum cæleſtem, quem mihi peccatori indigniſſimo præparaſti; vt in te ſaporem habens, totius mundi obliuiſcar. Secũdò eam demonſtraſti per opera vitæ ſenſitiuæ, cùm diſcipulis ad interrogata reſponderes, & ſalutares præſentes; in quibus oſtendebas te, & videre & audire. Ad hunc modum, ô Domine, vt oſtendam me in anima reſurrexiſſe tecum, da vt benè audiam & videam quæ ſpiritualia & diuina ſunt, atque ita rectè vtar quinq; ſenſibus meis, quò te clarificem, & honorem, & gloriam nominis tui ſemper & vbique promoueam. Nam ſentire meum nihil eſt, niſi in me ſentiam quod in te eſt.

Tertiò

Tertiò denique manifestasti resurrectionem tuam, per opera viræ intellectiuæ, eò quòd loquebaris cum eis de figuris & vaticiniis, quæ vel præfigurauerant, vel prænuntiauerant tuam sanctam resurrectionem. Hoc modo ô Domine, vt certior fiam de resurrectione animæ meæ, da rectè secundùm intellectum viuam, ad cogitandum & loquendum semper de tua diuina gratia & misericordia infinita, quam nobis peccatoribus in abundantia exhibuisti; quò assiduè cogitem & loquar de iis, quibus in æternum frui speramus. Si hæc in me comperiam, certus ero, quòd tecum in anima à morte peccati resurrexerim. Eia Domine, dignare hæc omnia in me perficere, sicuti in teipso propter me hæc operatus es, & renoua me in anima, sicut tu in anima & corpore simul hodie renouatus es, vt tu te in me, & ego me in te secundùm veram cõformitatem inueniã. Si enim in anima hæc fortiter obtinuero, certus ero, quòd & corporis reformatio in nouissimo die subsecutura sit. Ad hunc itaque modũ, ô sponse mellitissime, ope-

retur

retur in me tua ſanctiſſima reſurrectio, vt eam hîc ſentiam ſecundùm animan in gratia, & poſt hanc vitam ſecundùm animam & corpus ſimul in gloria. Amen.

Quarta MEDITATIO, *de admirabili Aſcenſione Domini noſtri* IESV CHRISTI.

PARS PRIMA.

BEnedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo tibi ſit, ô Domine Ieſu Chriſte, ex admirabili tua aſcenſione. Nam quadrageſimo die à reſurrectione, aſcendiſti ad cælos; vadens ad eum qui te miſerat. Sicut enim à Patre exieras, & veneras in hunc mundum: ita rurſum te relinquere oportebat hunc mundum, & redire ad Patrem, non ſecundùm Diuinitatem quæ nec Patrem nec cælos reliquerat, ſed ſecundùm humanitatem quæ à mortuis ſurrexerat. Dignum enim & iuſtum erat, quòd iam factus impaſſibilis, ſubtilis, clarus, & agilis ſecundùm

gloriam corporis, esses in loco eisdem dotibus conueniente. Verùm quanta cum maiestate hunc triumphum egisti! Certè similis numquam triumphus visus vel auditus est. Præcesserat quidē Enoch (*Gen.* 5.) qui solus in ista generatione iustus repertus, & Angelorum fretus adminiculo de hoc sæculo in deliciarū translatus est locum. Eliam quoque (4. *Reg.* 2.) in curru igneo ab aspectu hominum legimus sublatum. Sed horum nemo per seipsum, sed per Angelorum ministerium id egisse cognoscitur. Solus tu Mediator noster, ex virtute verbi, alieno non indigens suffragio, in beatorum mansiones gloriosus intrasti. Hoc diu antè Citharœdus sanctus contemplans, aiebat; (*Psal.* 20.) Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas. Virtute igitur propria cernentibus Apostolis, alijsque quampluribus, ferebaris in cælum, manifestissimè & pedetentim, ita vt intuentibus nulla inesset de ascensu tuo ambiguitas. Sursum autem progrediente te, facta est in cælo lætitia singularis. Conuenit simul vniuersus

Angelorum exercitus, vt aſcendenti tibi pariter obuiarent. Ecce (inquiunt) venit ad templum ſanctum ſuum dominator Dominus, en glorioſiſſimus fidelium propugnator, proſtratis aduerſariis redit ad propria. Ipſe vtique glorioſę humanitatis amictus pallio, atque captiuorum ingenti multitudine circumſeptus, laureatus incedit. Occurramus obuiàm conditori noſtro; nullus moretur, nullíque liceat emanere; omnes vnanimiter, quantum valent, laudis exoluant debita; ſinguli lætentur in Domino, quoniam perditorum ipſe reſtaurabit ruinas ſociorum, atque antiquæ ciuitatis noſtræ mœnia reædificabit eximiè. Rumpamus igitur moras, ecce iam à terra eleuatus, iam penè ab intuentium oculis ſublatus eſt. Tunc ingens oritur cum exultatione ſuſurrus, fitque apparatus citharœdorum cæleſtium, citharizantium in citharis ſuis. Adeſt Michaël legionū angelicarum Princeps glorioſiſſimus, ſingulorum diſtinguens ordines, miráque alacritate diuidens vniuerſos: præcedunt inferiores, ſubſequuntur ceteri, iuxta

naturæ prærogatiuam, ac meritorum dignitates. Quale ſpectaculum, quàm læta congregatio, quantus exercitus, quæ laudum carmina occurrentium reſonant Angelorum! Iſta profectò non capit ſenſus, intelligentia non attingit, vſus neſcit, ignorat ſæculum, cæli mirantur. Eia Domine, à longè ſemel horum memoriam agam, vt in ſpiritu me his adiungam, ſi fortè ſemel guſtare mihi licuerit dulcedinem & iucunditatem, qua Angeli vnà cum animabus ſanctis hodie ſunt recreati. Et hoc mihi facilè concedetur, ſi in ſpiritu perfectè tibi vnitus tecum modò aſcendam virtute venerabilis Sacramenti, qua hodie ad me venire dignatus es. O ſi corde tecum eſſem, vbi tu modò es in gloria. Eia Domine, trahe me in te, ſicuti te cupio trahere in me, vt ego tecum ſim, ſicuti te mecum eſſe deſidero. Amen.

PARS SECVNDA.

DEſcendentibus Angelis obuias tu iam Domine cum aſcendentibus tecum Patribus, & indiſſolubili alligamini compagine vnitatis. Iam

enim perlucida ſe oppoſuerat nubes, quæ te ab aſpectibus admirantium & lætantium diſcipulorum ſubtraxerat. Efficitur cor vnum, eadem volũtas, par conſenſus, mutua exhortatio, æqualis operatio laudis hominum & Angelorum. Singuli abſque vocis ſtrepitu certatim ſingula promunt laudationis præconia; è mutuis aſpectibus, de cõcupito conſortio, pro ineffabili gloria, cæli ciues terræque lætantur. Vtroſque copulabas parietes tu lapis pretioſus, angularis, & ſummus. Tu verò hinc inde vallatus pſallentium vocibus beatorum, maximo cum honore ferebaris in cælum. A dextris planè tuis Angelorum cunei, & à ſiniſtris Patriarcharum, Prophetarum, Regum ceterorumque Sanctorum inſtituti ſunt chori, vt viciſſim ſe inflammarent ad laudem. Iam innumerabilium fretus agminibus Angelorum, veluti Rex potentiſſimus tu Mediator noſter pergebas ad Patrem. Pſallebant Angeli, nimia cum exultatione, dicentes: Pſallite Regi noſtro, pſallite (*Pſal. 46.*) Quibus reſpondebãt iuſti: Pſallite Regi noſtro, pſallite. Ite-

rumq; Angeli repetita laude dicebant: Rex omnis terræ Deus. Et iusti; Quoniam ita est, psallite sapienter. Tunc modulatis vocibus æther completur pariter decantantium: Regnabit Deus super omnes gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. In hunc modum ascendisti ô Deus in iubilo, & reuertêris Dominus in voce tubæ, prout de te sãctus prophetauerat Vates. Imò captiua captiuitas, hoc est Patres antiqui, quos de Limbo eripueras, etiam psallentibus choris, cunctisque plaudentibus mirabiliter ingrediuntur. Dauid ipse cum cantoribus Ierusalem, citharam percutiebat; alij atque alij organa, tympana & millia huiusmodi suauissimè tangebant: omnium affectus & actus diuinis laudibus intendebant. Porrò tota ciuitas illa festiua erat, hilaris, redolens, decora, deliciis referta, occupata laudibus, erecta in Deum, magnificata honoribus, sanctificata meritis, prærogatiuis ornata, dilatata bonis, stabilita per sęcula, pace secura, à necessitatibus aliena, Deo charissima, & tibi sempiterno Verbo castissimè copulata.

Per

Per plateas quippe illius, per mansiones & vias ab vniuersis cantabatur Alleluia, hoc est, laudate Deum. Erat prætereà in illius medio, miræ magnitudinis atque incomparabilis pulchritudinis thronus, innumerabilium stellarum splendore coruscus, nec non Angelorum millium claritate stipatus. Hunc diuinus splendor, regia dignitas, atque ineffabilis gloria perornabat. Nemo, vt ipsum tangeret, appropinquare audebat: venerabantur tamen omnes illius artificis sapientiam, cæleſtem virtutem, affluentem gratiam, æternumq́; decorem. Equidem in principio & ante sæcula hic eleuatus est thronus, in quo tu, ô Domine Iesu Christe Rex gloriæ, solus honorabiliter resideres, quemadmodū & factum est. Nam laudantibus Deum cunctis & psallentibus, ac vniuersis cernentibus, in eodem gloriosissimè collocatus es. Tūc millia millium ministrantium, & decies centena millia assistentium Angelorum, vocem dedere dicentes: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcu-

la sæculorum. Amen. Verùm & ipse Sanctorum cœtus dulcisonis iubilationum clamoribus inquit: Dignus es Domine accipere virtutem, & diuinitatẽ, & sapientiam, & gloriam, & honorem, & benedictionem, quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo, fecistique nos reges & sacerdotes, & tecum regnabimus in æternum. Hæc & his similia prosequentes, magna cum veneratione cadebant in facies suas, & ante thronum tuum submittentes coronas suas, immensas tibi gratiarum exhibebant actiones. Se quidem ab admiratione & laude continere non poterant. Emanabant enim de tua, ô Mediator, serena facie riuuli nonnulli bonitatis & clementiæ, profluentes de vitæ fonte sanctæ ciuitatis; quorum qui aderant inebriati dulcedine, pia charitate languebant: sed & ipsa sapientia in te Domine corporaliter habitans, de thesauris diuinitatis suæ spiritualiter quosdã luminis emittebat exteriùs radios; quibus contemplantes, illustrati, intelligentię splendore fulgebant. Trahebantur suauiter à te, teq; aspicientes vber-

rimè

rimè delectabantur. Nil planè in illis vacabat à laude, quoniã totum quod videbatur ibi, agnoscebatur laudabile. Ingrediebantur vtique & egrediebantur, & virentia amoris & laudis pascua degustabant. Tu ipse Verbum Patris arcam mysteriorum affluenter patefaciebas, per quæ rediuiuis contemplationum gaudiis reficiebantur vniuersi. Nec fastidium satietas, nec pœnam desiderium inferebat. Operabatur in illis tua ipsius potentia, quatenus ineffabilium bonorum capaces existerent. In ipsa sapientia & suauitate diffundebas te in illos, reficiebas eos non relinquẽs te, ornabas singulos in gradibus suis, omnesque secundùm merita disponebas. Non de minoritate inuidentia, nec de maioritate generabatur elatio. Omnium omnia communia erant: quoniam tu Deus eras in omnibus omnia. In hoc itaque, ô Mediator, conuiuio nuptiali, exultationis & confessionis iucũdissimus percipiebatur gustus, atq; laudantium ac te Deum benedicentium melliflua carmina personabant. Eia nunc Domine Deus, trahe cor

meum post te, vbi tu ipse es, & intuear quandoque in spiritu triumphum gloriæ, quem in summo cælorum throno geris incessanter, & huius contēplatione in me flaccescat, ac paulatim planè intereat omnis carnalis affectio,& deliciæ,quas in terris creaturę mihi adferre possint. Et est planè rationi cōsentaneū, vt hoc mihi fiat. Nam vbi sponsus,illic & sponsa esse debet. Et si in anima & corpore eò iam tendere nequeam, ad minimum spiritus eò dirigatur, vbi anima & corpus in perpetuum tecum manere desiderant. Ob hanc causam ascendisti ad cælos in mea natura, cùm in tua eos non reliquisses; vt in terris carnem meam cælestem faceres, & per carnem nostram in te, nostri omnium carni spem dares, sedis ibidem tecum habendę in perpetuum. Da igitur mente nunc prælibare gloriam, qua post hanc vitam satiabor; vt hac occupatus, omnibus præmaturis deliciis moriar; ad quod tua salutaris pręsentia in venerabili Sacramento me satis admonet. Verùm Dominus meus & Deus meus, cùm ego sim tam fragilis, quòd sen-

tiens

tiens te, non acceptem; videns te, non considerem; audiens te, nō sequar; vim infer carni meæ, & da vt mente eò tendam, vbi tu nunc es in gloria, quò in anima mea tamquam in cælo tuo assiduè te laudē & benedicam. Amen.

PARS TERTIA.

CÆlestibus autem canticis, ô Domine, incumbentibus patriæ habitatoribus, diemque festum ducentibus, adhuc turba discipulorum residebat in monte, erectisque in cælum oculis mente delectabiliter pascebatur. Tunc iuxta illos in albis vestibus duo viri astitêre, dicentes: Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cęlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. O Mediatoris præcipua dignatio, ô charitatis viscera prædicanda! In tanto siquidem honoris culmine sublimatus, numquid oblitus es stupentium filiorum? Nec pro gaudij magnitudine, nec pro locorum distantia fouere desiisti, quos superstites in mundo dereliqueras. Ita planè in cælis lætaris cum Angelis, vt

in terris non fastidias cohabitare hominibus: nam delicię tuę sunt esse cum filiis hominum. Pro amoris igitur vehementia, non dedignaris summus ad ima descendere, vt infirmos eleues ad summa. Nisi priùs descendas tu, numquam erigemur. tua inclinatio, nostra prouectio est. Quare iam ascendens benedixisti discipulis tuis, in signum quòd nostri semper memor esses, ad muniendos nos contra hostes, & cælestibus donis cumulandos. Da Domine, vt assiduè huius benedictionis recorder, ac si iam ascendens benediceres mihi, ad concipiendam spem, quòd hanc vitam præsentem benè feliciterque contemptis hostibus vniuersis transigam. Sed discam tuo exemplo humilitatem, cuncta præsentia asperner, caueam infimis & caducis delectari, vt expeditiùs cælestia capiã. Nam vtraque possidere nequeo, cùm S. Iacobus dicat (*cap.* 4.) quòd quicumque voluerit esse amicus huius sæculi, inimicus tuus sit constituendus. Da igitur mundo moriar, vt tibi viuam; custodiã legem tuam, aduerser diabolo, & mun-

dum

dum pessumdem, contemnam visibilia, oderim neminem, diligam vniuersos, atque mentis affectu bona inuisibilia concupiscam; vt sic tandem corporaliter moriendo, muter in melius, & hinc recedens locum apud te inueniam. Da, vt quando (iuxta Isaiam *cap.* 37.) radices deorsum habeo, fructum faciam sursum, & sim honorabilis Angelis, amabilis tibi, lumen sæculo, vilis mihi, & charissimus Patri tuo cælesti. Hoc modo Domine sentiam quòd tu cum natura mea carnali es in deliciis, & Dominus omnium dominaris in cælo & in terra, & expectas, donec omnes electi, quotquot sunt in cælo & in terra, vnum sint, & tu inter eos secundùm Diuinitatem sis omnia in omnibus. Amen.

PARS QVARTA.

DE hac tua admirabili ascensione Domine, numquam satis superque te laudare poterimus. Nam hac operatus es salutem nostram perpetuã, quæ hodie à te capite nostro principium duxit. Ex hoc speramus nos membra tecum, qui caput nostrum es,

vniendos . Hodie namque cæleſtes creaturas nos omnes formaſti. O ſi hoc in me ſentirem, vt caro mea & ſenſus infirmitates & imperfectiones ſuas perderent, & iam nil niſi quod cæleſte & ſpirituale experirentur, ne inordinata ira aut concupiſcentia in me inueniretur, ſed pax & amor; quò in me ſentirem, quod modò in te eſt. Hæc tua aſcenſio eſt cauſa noſtræ ſalutis bifariàm; videlicet ex parte noſtri omnium, & ex parte tuæ propriæ perſonæ.

Ex parte noſtra eſt aſcenſio tua cauſa noſtræ ſalutis, quia ex hoc cor & animus eò diriguntur vbi tu ipſe es: & hoc diuerſis modis. Primùm enim ex hoc fides noſtra innouatur & confirmatur, dum iam credimus, quod non videmus. Fides namque eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Non enim quod videmus, credimus, ſed quod non videmus. Vnde dicebas diſcipulis (*Ioã.* 16.) Cùm venerit Paraclitus, arguet mundum de iuſtitia, eorum videlicet qui credunt. Hæc ergo erit noſtra iuſtitia de qua mundus arguetur, quòd videlicet iam

credi-

credimus in te, quem non videmus. Sis ô Domine benedictus in sæcula de hac fide nostra. Confirma nos in ipsa, ne vnquam vel latum vnguem ab ea recedamus, sed cum electa sponsa tua matre nostra Ecclesia vniti, tibi semper in vera fide præsentes inueniamur. Secundò confortatur per tuam gloriosam ascensionem spes nostra. Tu enim dixisti (*Ioan.* 14.) Et si abiero & præparauero vobis locum, iterùm venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Ex eo namque quòd assumptam humanam naturam in cælestibus collocaueris, & nobis spem dedisti locum istum occupandi in cęlestibus. Vbi siquidem fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilę (*Matth.* 24.) Tu Domine es corpus, quod circumuolant electi, vt de te satientur in perpetuum. Hanc spem in me quæso amplifica, & si quando tentatione aliqua decidat, tu rursum erige; ne, hac spe manente, vmquam tribulatio aut tentatio me afflictũ reddat; sed respiciens ad hãc spem, inter omnes homines me humiliem, & cunctis me inferiorẽ æsti-

mem,

nem, & patienter feram si quid aduersi mihi eueniat, ne vmquam tribulationum & miseriarum me tædeat, quantumcumque diuturnæ fuerint. Verùm intuitu huius spei, cum Patriarcha Iacob omnem laborem paruifaciam, & tempus laborum breue æstimem. Tertiò per tuam gloriosam ascensionem locum in nobis obtinuit charitas. Hîc enim charitas dilatatur, quando videlicet supernis rebus intenti, conuersationem nostram habemus in cælis. Vnde Paulus (*ad Coloss.* 3.) Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Et meritò hoc curamus. Nam tu amicus noster, sponsus & Saluator noster, non versaris ampliùs nobiscum in terris mortalis, sed in cælestibus immortalis. Illic ergo cor nostrum tibi adesse debet. Nam vbi thesaurus noster, ibi & cor nostrum erit. Quoniam autem Spiritus sanctus amor est qui nos trahat ad cælestia; dicebas (*Ioan.* 16.) Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. si autem

abiero, mittam eum ad vos. Verè enim cum Apoſtolis capaces Spiritus ſancti non fuiſſemus, niſi tu ad cælos aſcendiſſes. Verùm vbi iam corporali ſpecie à nobis receſſiſſes, non ſolùm adfuit nobis Spiritus ſanctus, ſed & Pater vnà tecum. Eia Domine, adauge in me charitatem, vt iam non vbi viuo, ſed vbi amo, agam, hoc eſt in cæleſtibus. Sit, ô Domine, hic amor fortis in me, vt per eum aliquando eleuatus tibi præſens ſim, ac omnium terreſtrium obliuiſcar, ac tanto cum feruore tibi intendam, vt nec dolorem ſentiam, nec vilipenſionem curem, nec laudes humanas magnifaciam; ſed tamquam viuens mortuus, ſemper tecùm ſim, & in vera charitate tibi vnitus. Cuius me admonet venerabile Sacramentum, quo tu ad me venire dignatus es. Per hoc igitur trahe me in te, vt ab omnibus quæ in hoc ſæculo ſunt ſeparatus, tecũ perfectè viuam in perpetuum. Quartò per hanc tuam admirabilem aſcenſionem augetur reuerentia noſtra erga te, dum iam non reputamus te tamquam hominem terrenum, ſed tamquã Deum

cæli & terræ. Sicut Apostolus dicit (2.*Cor*.5.) Etsi cognouimus secundùm carnem te Christum, hoc est mortalem, cùm tamquam hominem solum te æstimare potuissemus; sed nunc iam te non nouimus, cùm ab oculis nostris sublatus in gloria Dei Patris viuas. O Domine, confirma in me hanc reuerentiã, vt te verè tamquam Deum & Dominum meum semper reuerear, & per hãc reuerentiam timore filiali à peccatis præseruer. Verùm vt hæc reuerentia in me crescat, exerceam eam singulariter, quotiescumque te in sacrosancta Eucharistia recipio; abstineam ab omnibus, quæ me in tua diuina præsentia dedeceant; & reuerear te, tam in cogitationibus, quàm verbis aut factis, cogitans te mihi in omnibus præsentẽm, quò adnitar & ego tibi in cunctis esse præsens.

At ex parte tua etiam ad nostram salutem cælos petiisti. Primò namque in cælum nobis præparasti viam, quam incognitam nemo antè ambulauerat. Quare de te prophetauerat Michæas Propheta (*cap*. 2.) Ascendit pandens

iter ante eos. Et hoc opere hodie complesti, de quo sis benedictus in sæcula, qui viam tot millibus annorum præclusam aperuisti. Nunc aliquando nos secururos speramus. Membra namque capiti tandem associanda erunt. Hæc enim est voluntas tua, vt vbi tu es, & nos simus. Vt autem huius nos certiores faceres, animas patrum de Limbo ereptas tecum in cælum perduxisti, sicuti hoc Propheta Dauid diu antè prophetauerat, quòd tu videlicet ascendens captiuam duceres captiuitatem. Quos enim è diaboli faucibus eripuetas, tecum in locum naturæ humanæ peregrinum perduxisti. Sed clementer illos captiuos, per victoriam ereptos, abduxisti. O Dñe memorare, quòd & ego quandoque captiuus sum, & à sensualitate mea, superbia, curiositate, & creaturis aliis detincor, quibus tantopere inhæreo, vt citra iram & animi commotionem proximo non succurram, & perdo sæpè fratrem, quem tuo pretioso sanguine redemisti. idq; sæpenumerò facio propter rem leuiculam. Libera me quæso ab hac captiuitate, vt

libera-

liberatus à sensualitate, amore proprio & creaturis omnibus, liberrimè tecum in cælestibus conuersationem habeam. Trahe itaque me per virtutem venerabilis Sacramenti, quo me indignum pauisti hodie, vt & ego sim, vbi tu es. Secundò est admirabilis tua ascensio causa efficiens nostræ salutis. Nam sicut summus sacerdos in veteri Testaméto intrabat in sanctum sanctorum, vt assisteret Patri cælesti pro populo, ita tu Dominus meus & Deus meus intrasti cælum ad interpellãdum pro nobis (*vt dicitur ad Hebr.* 7) Nam ipsa tui repræsentatio secundùm humanam naturam, quam in cælum intulisti, est quædam interpellatio pro nobis, vt ex quo Pater cælestis humanam naturam sic in te exaltauit, nostri omnium misereatur, pro quibus tu Dei filius humanam naturam assumpsisti. Ne igitur obliuiscaris mei Domine, trahe me in te, & repræsenta me assiduè Patri tuo cælesti, vt ipse misereatur mei, pro quo tu eius filius homo factus, mortuus es, ac resurrexisti; & tandem ad cælos ascendisti, ne meritum

benedictę passionis tuę in me vmquam suo frustretur effectu. Agnosce me per beneficium in venerabili Sacramento mihi exhibitum. Nam si tu mecum fueris, & ego tecum; numquam à Patre tuo cælesti derelinquar. Operare itaque in me Domine, vt in me sentiam, quòd tu pro mea salute ad cælos ascenderis, & ad dexteram Dei sedeas. Tertiò est ex parte tua ascensio nobis in salutem. Nam ascendisti, vt in cælorum sede quasi Deus & Dominus cōstitutus, de supernis nobis diuina dona transmitteres. Vnde Paulus (*ad Ephes.* 4.) dicit, quòd ascenderis super omnes cælos, vt adimpleres omnia; nempe donis tuis. Ne quæso Domine Deus huius obliuiscaris, sed respice meam multiformem fragilitatem secundùm omnes constitutionis meæ partes, & communica mihi indies tuam diuinam gratiam de superno cælorum habitaculo, quò cunctas infirmitates vincam, & tibi quotidie magis conformer, ad experiendam tuæ gloriosæ ascensionis gratiam, vt post hanc vitam illam tecum participare merear. Hinc clamo ad te

ex totis præcordijs meis cum sancta Ecclesia matre nostra, & oro: O Rex gloriæ & Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos ascẽdisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis, Alleluia. Amen.

Quinta MEDITATIO, *de* SPIRITVS SANCTI *missione in die Pentecostes.*

PARS PRIMA.

O Sponse charissime, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, sit tibi laus & benedictio in sæcula, qui in omnibus semper & vbique verus inuentus es, ac iam in cælestium gaudiorum gloria non reliquisti nos orphanos in terris, sed secundùm promissionẽ misisti Spiritum sanctum Paraclitum, quem toties, dum nobiscum adhuc mortalis viueres, pollicitus es. Dicebas enim (*Ioan.* 14.) Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus

non poteſt accipere. quaſi dicas: Ego eripiar vobis, vt ſecundùm exteriorem hominē vobiſcum manere nequeam, ſed alium inuiſibilem Paraclitum recipietis, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere; quia non vidit eum, nec ſcit eum: vos autē cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Et poſteà: Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Et (*Ioan.* 16.) Expedit vobis, vt ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iuſtitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me; de iudicio verò, quia iam Princeps huius mundi iudicatus eſt. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ab hoc Spiritu ſancto dependebant

omnia.

omnia. Nam absque illo tua sanctissima incarnatio, dira passio, & amara mors, gloriosa resurrectio, & admirabilis ascensio nihil nobis profuissent. Ipse enim ad fructum istorum omnium percipiendum nos præparare debebat. Imò sine Spiritu sancto nec credere quidem illa mysteria potuissemus; sileo, quòd absque illo fructum eorum consequeremur. Hinc (*Luc.* 24.) tam seriò mandasti discipulis aduentum eius expectare, dicens: Ecce ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. quasi diceres: Nihil vos potestis efficere, nisi acceperitis Spiritum sanctum. Sedete ergo, hoc est, date vos quieti, in humilitate omnia extranea missa facite, & locum date contemplationi, qua & propriam vilitatem, & diuinæ maiestatis summã altitudinem considerantes, cogitetis quanta Deus fecerit vobis, qui vnigenitum suum Filium misit, dans eum propter vos in mortem, mortem autem crucis; orate vt & ipse donet vobis Spiritum sanctum, quo mecum vnum

sitis,

sitis;& simul mecú clametis, Pater noster,& hoc tá diu,donec veniat Spiritus sanctus,& repleat omniú vestrûm corda, vt in perpetuum omnes vos in Deo vnum faciat. O nunc sponse mellitissime da gratiá, vt ad Spiritus sancti operationem dignè me præparem. Incipiá ex nunc me componere ad sedendum in ciuitate Ierusalem, vt intrò me conuertens, in anima mea quietem & pacé inueniá. Libera me à diaboli tentationibus, quæ ab immúdis cogitationibus & carnis lenocinijs principium ducút, ad me inuoluédum. Hunc hostem longiùs à me repelle, vt quieté inueniam. Segrega me ab hoc mūdo per gratiam, vt etiam in hoc sæculo viuens præseruer à malo, nec quidquam vanitatum cum eo participem; sed odio eum prosequar cum omnibus illecebris eius, ne in ipso Spiritus sancti aduentu mihi sit impedimento. Si ita ab omnibus nocumétis liberàtus in quiete & silentio inueniar, sentiam tandem, quòd Paráchitus ad me veniat, & apud me maneat. Dedisti quidé mihi Spiritum sanctum, tum ad fontem Baptismatis, tum etiam

in Sacramento Cõfirmationis, sed propter vitæ meæ fragilitatem, nescio an mihi adsit, aut apud me maneat. Nam si ille mecũ sit & maneat, certus ero quòd per suam gratiam me tibi gratum fecerit. Eia ergo Domine, mitte Spiritum veritatis, quem mundus non nouit, vt apud me sit, & mecum viuat, quò ab ipso viuere, sentire, & operari habeã. Mitte illum quæso sine mora, Ipse enim est Spiritus veritatis, qui nos de omnibus salutem concernentibus erudit. Mitte quæso vt me instruat de cunctis quæ egisti & docuisti, quò per ejus internam operationem, tuis vestigijs in omni humilitate, patientia, & obedientia inhæream. Eia vnice Mediator mitte Spiritum sanctum Paraclitum, vt sentiam illum arguere mundum de peccato, iustitia & iudicio, quò ab omni peccato & infidelitatis specie mihi caueam; diligenter operer iustitiam ad exercendum me in omnibus virtutibus, ac operibus pietatis: cogitem de iudicio, ne princeps huius mundi iam iudicatus mihi offendiculum ponat, sed liberrimè curram viam mandatorum tuorum, quò legiti-

mè pugnem contra dæmonem, mundum,&carnem,vt ad sentētiam in hora mortis, & iudicium nouissimum semper respiciens,ita vitam & conuersationem instituam, vt tibi in sempiternum dilectus filius inueniar. Nosti Domine, quòd ego nihil possim sine Spiritu sancto, quia sum caro & sanguis quærens meipsum.Mitte igitur Spiritum veritatis,vt doceat me omnem veritatē. Quid est omnis veritas? Vt ego tecum vnitus, sentiā in me,quod & in te est.Hoc quæso operetur in me Spiritus sanctus,vt in omnibus,siue benè siue malè mecū agatur,tecum contentus sim, & sequar te sine amaritudine,sine murmure,& sine pusillanimitate, in omnibus virtutibus,tribulatione & dolore; vt per Spiritum sanctum tecum vnum efficiar, & simul tecum & per te apud Deum Patrem omnipotentem gratiam inueniā, nunc & in perpetuum. Emitte itaque Spiritum tuum,& creabuntur,& renouabis faciem terræ. Amen.

PARS SECVNDA.

LAudans gratias tibi ago Domine, quòd die quinquagesima post re-

urrectionem, miseris Spiritum sanctum, hoc est in die Pentecostes, qui etiam Iudæis erat celeberrimus, propter Legem, quam cum tonitru & fulgure in deserto supra montem Sinai, quinquagesimo die, post exitum de Ægypto receperunt: quo ipso die misisti Spiritum sanctum, in specie ignis, quinquagesimo die à resurrectione, quo tu verus agnus Paschalis nos facis transire tecum ex carne in spiritum, ex sensualitate in intellectum, vbi iam per Baptismum limen, id est cor nostrum, & vtrumque postem, hoc est spiritum & animam tuo pretioso sanguine inungentes à percutiente Angelo liberati sumus. Verùm Legem dedisti in monte Sinai, & Spiritum sanctum in monte Sion. Nam Sinai significat rubum, cuius spinæ acutæ & pungentes, quemadmodum Lex cum terrore data est. Sed sicuti Sion idem est quod specula: ita Spiritus sanctus est in solatium omnium afflictorum, & in prouidentiam omnium infirmorum, qui defectus & errores suos agnoscunt, ad cauendum sibi in hac vita ne futura priuentur.

Opti-

Optimè illum misisti quinquagesimo die; quia quinquagesimus annus erat annus Iubilæi, quo omnia debita remittebantur, captiui liberabantur; sicuti nunc per Spiritum sanctum peccata remittuntur, & charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, abundè super nos diffunditur. Nam in hoc Iubilæo spirituali, quod cursum suum habet vsque ad nouissimum diem, captiui secundùm animam liberantur, omne delictum dimittitur, sicut illi, cui decem millia talenta dimittebantur, exules redeunt in patriam, hereditas perdita restituitur; & serui, hoc est homines, qui propter peccata diuenditi erant, à iugo seruitutis liberantur. Sis benedictus, Domine, de hac tua tanta gratia, per Spiritum sanctum nobis communicata. Eia sentiam indies, quòd Spiritus sanctus sit datus in die Pentecostes, & experiar, quòd tamquam membrum Ecclesiæ de Spiritu sancto participem, atque ita solatium percipiam in omni tribulatione, labore & dolore, ne vmquam à te separari contingat. Sit in me ad prouidentiam ope-

randam, quò ſemper tamquam ſpeculator à longè proſpiciens animaduertã, ſi quando mihi appropinquet hoſtis, volens me à te abſtrahere, vt illum à me repellam, & caueam ab omnibus, quæ te in me operantem impedire poſſint; ſed amplectar omnem veram virtutum viam, ad mortificandum meipſum, & abnegandam ſenſualitatem, ne ſaluti meæ perpetuæ obſtaculum ponatur. Eia Domine, ſentiam gratiam anni Iubilęi, nunc per donationem ſancti Spiritus inchoati, & ad nouiſſimum diem permanentis. Da, hoc Iubilæum diligenter obſeruem, ne horula aut momentum tranſeat, quin influxum tuæ diuinæ gratiæ in me recipiam. Nunc enim manus tua magnifica patet, ad dandum nobis quidquid petierimus, imò amplius quàm petere poſſimus. Nunc tempus eſt deponendi iram vt omnes filij iræ redeant in gratiam. Hic eſt annus quo omnes captiui liberandi, & omne debitum dimittendum. Ne igitur miſericordiſſime Domine, nunc mihi exprobres malitiam meam, nec reminiſcaris iniquita-

tum

tum mearum antiquarum, sed per Spiritum sanctum me innoua, vt nunc deinceps in spiritu libertatis ambulans, in nulla virtutum actione difficultatem faciam, sed à Spiritu sancto adiutus, in simplici obedientia sine murmure vitam hanc transigam, quò tibi placeam in perpetuum. Veni igitur creator Spiritus, mentes tuorum quos regendos assumpsisti, visita, imple superna gratia, quę tu creasti pectora, vt mala fugiẽtes, bona rectâ intentione amplectamur. Tu Paraclitus diceris, id est consolator, vel aduocatus. Nam tu solus verum instillas solatium, qui etiam linguas infantiũ facis disertas, & postulas pro nobis inenarrabilibus gemitibus (*Rom.* 6,) Reple quæso cor meum, & consolare me in omni difficultate & miseria, ne vllus labor aut dolor me vincat, sed quò maior & amplior mihi euenerit, tantò maiorem spem concipiam, & gaudeam quòd pro te pati dignus inueniar. Sis etiam aduocatus meus, moue cor & linguam meam ad omne pietatis mysterium: promoue linguam meam, quando mihi orandum fuerit, vt deuo-

tè, quasi à te inflammatus, orationem meam pronuntiem. Ego enim stupidus sum & ignarus, nesciens quid dicere aut cogitare oporteat: sed tu, ô aduocate Spiritus sancte, cogita & loquere per me, vt placeat oratio mea in conspectu Patris altissimi. Sic præueni in omnibus infirmitaté meã, & pete in me, per me, & pro me inenarrabili quadã suauitate. Tu es donum Dei altissimi, fons viuus, qui per fidem in Mediatorem nostrum vnicum Christum viuis in nobis, fluens ac saliens paras nobis refrigerium in æstu, potum in siti, ne vmquam à bono opere cessemus, vsque dum ad vitam perueniamus æternam, vbi bonorum operum merces retribuetur, & omnium rerum erit vicissitudo. Prætereà Spiritus sancte Deus illumina me, & quiescam in te, quoties hostis malignus, mundus aut caro me defatigat: sis mihi in æstu tentationum temperies, & refice me tua diuina gratia, quoties sub imperfectionibus ingemisco, aut iustitiam sitio. Tu quoque diceris ignis & charitas, qui quod frigidum calefacis, teporem in feruo-

rem conuertis, & deuotionem igne charitatis inflammas. Hunc ignem diuini amoris in me accende, ad omnis immunditiæ consumptionem, quò tarditatem & pigritiam meam agilitate gratiæ tuæ vincas. Tu es spiritalis vnctio, quæ emollit omnem duritiem, & amaritudinem noua dulcedine expellit, sanat quod est saucium, solatio tristitiam fugat, docet indoctos, stupidos intelligentes facit, & omnia suauiter & moderatè gubernat. Hanc vnctionem clemens mihi infunde, & esto in me. Si enim te habuero, hac vnctione gaudebo. Vt ergo de te certior fiam, rege me cum tanta suauitate, vt bonum & malum, grata & ingrata, dulcia & amara, facilia & difficilia de manu tua accipiam, & libenter tecum perferam; vt gaudium mihi sit in spiritu, si quando in carne contrister. Tu quoq; septiformis munere, quo virtutes omnes perficiuntur. Dexteræ Dei tu digitus, quo dæmonia eiiciuntur. Tu es promissio Patris, quę indoctos erudiuit, & linguas eorum fecit disertas. Dignare igitur & me visitare munere septiformi, & quid-

quid bonũ inueneris perfice, vt in omnibus conuersatio mea perfecta inueniatur. Da per te, Dei digitum, cuncta faciẽda opere adimpleam, ne à diabolo, morte vel inferno, à carne vel sanguine, à sensibus vel vlla creatura impediar. Fac vt simus diserti, ac primùm in nobis ipsis, quò Patrem in Filio laudemus, atque glorificemus quotidie; ac deinde simus eloquentes ad docendum proximos, in iis quæ salutem concernunt. Accẽde lumen sensibus, infunde amorem cordibus, infirma nostri corporis, virtute firmans perpeti; quò in omnibus tractum tuum sequamur, & vocationi nostræ satisfaciamus. Hostem repellas longiùs, pacemque dones protinus, ductore sic te præuio vitemus omne noxium. Per te sciamus da Patrem, noscamus atq; Filium, te vtriusque Spiritum credamus omni tempore; quò tu in nobis operás, Filio Dei nos acceptos facias, qui deinceps pro nobis respondeat, & causam nostram agat apud Patrem cælestem, nunc & in perpetuum. Amen.

PARS TERTIA.

O Deus in altissimis, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Nam dum complerétur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco: & factus est repentè de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erãt sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditq; supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Omnes in vnum congregatos esse oportebat, vt acciperent Spiritum sanctum. Nam Spiritus sanctus non datur nisi in vera Ecclesiæ Catholicæ vnitate. Da ergo, ô Domine, vt maneam in hac domo, in hac cõgregatione, quam sancti Apostoli tecum assumpserũt, & nobis posteris suis lege hereditaria reliquerunt, vt nos cum illis vniti in fide Ecclesiæ Catholicæ vera, indies Spiritum sanctum in cunctis negotiis & rebus expectemus. Quia sine ipso nihil possumus. Expectemus ergo illum gnauiter, ne tẽpus vel minimum,

quo ipse venire possit, negligamus. Ipse enim repentè venit, & quando minimè cogitamus: sed si tunc parati fuerimus, benè quidem; sin minùs, grauissima nos tristitia confundet. Da igitur, sanctarū cogitationum cōtinuatione gnauiter illum expectem. Occupationū multiplicitas longè sit à me, vt semper circa vnū necessariū verser, ac Spiritui sācto semper paratus sim. Et si iam non veniat cū dono, veniat saltem potenter, ad instar Spiritus vehementis, quò me trahat, impellat, & cogat ad mundū relinquendum, & ad optimā partem eligendam, quæ non auferetur à me. Sed si hoc cōsequi voluero, oportebit me sedere, per profundam humilitatem; qua inter omnes homines, paruos & magnos, me humiliem, & vilissimum reputem; quò in meipso locum dando Spiritui sancto, requiem inueniam. Et quid obstabit, cū totam domum impleuerit, vbi erant sedentes? Nam & ego in hac domo tua sum, gratia tua. Possum ne ergo alienus esse à Spiritu sancto, qui hanc domū gubernat, gubernauit, atq; gubernabit vsque in finem? Quòd si

alie-

alienũ me esse contingeret, ego ipsemet, vitæ meæ improbitate, tanti mihi damni causã attulissem. Sed ne extrema ista infelicitas mihi eueniat, ego deinceps, Domine, nihil mihi assumam: veniat Spiritus sanctus & rerum gubernacula administret pro tua sanctissima voluntate; vt dum ipse me fortiter trahat ad seipsum, ego ab omnibus secundùm carnem modò placẽtibus abstineam, & nihil mihi vendicem: ipse autem solus in me sit, & pro beneplacito suo mecum agat. Si enim à Spiritu tuo guberner, bono gaudebo regimine. Verùm vt hoc in me, & in omnibus nobis operareris, misisti illũ in specie ignis, vt virtus eius tamquam ignis in nobis ageret. Ignis purgat, illuminat, & inflammat. Veniat ergo Spiritus sanctus, & me tamquam aurum in igne purget, ad tollendas cũctas prauas cogitationes, ad auferẽdam à me omnem ad quæuis terrestria, carnalia & sensualia procliuitatẽ, quò me totum cælestem, diuinũ, ac spiritualem efficiat. Purget carnem meam ab omni prauo sensu & appetitu maligno, & det vt in me sentiam, quod in te est. Purget

animam meã ab omnibus quæ in mundo ſunt, ne quærat quidquã, niſi gloriã & honorem nominis tui, proximi commodum, & propriam ſalutem. Purget etiam animam ſecũdùm te, ne in fruendo vel carendo gratia tua diuina quærat ſeipſam, ſed te ſolum, vt tu ſis ei omnia in omnibus. Purget me in ſpiritu, vt abſtractus ab omnibus creatis, circa te ſolum Deum viuum & verum ſemper ſit occupatus; quò tu ſolus in ſpiritu meo teipſo fruaris, pro tua ſanctiſſima volũtate. Prętereà ignis illuſtrat domũ, & omnia quæ in ea ſunt. Itaque Spiritus ſanctus qui in forma ignis venit, me illuminet ſecundùm intellectum, memoriam & voluntatem; quò diſcernere valeam inter terreſtria & cæleſtia, inter carnalia & ſpiritualia, inter humana & diuina; ne vnquam errem, terreſtria pro cæleſtibus, carnalia pro ſpiritualibus, humana pro diuinis amplectendo. Nam propter harum rerũ ignorantiam ſæpè me inuadit triſtitia; vt dum omnia benè expedita putem, reipſa poſteà cõperiã, quòd me ipſum quæſierim, mundum, vel alias quaſuis creaturas, quibus

com-

complacere desiderabam. Mitte ergo Spiritum sanctum, qui me doceat, quæuis in suo genere & pro sua dignitate æstimare. Illuminet etiam me secúdùm memoriam, quò mihi ipsi semper præsens sim. Expellat omnes nebulæ tenebras, quæ propensionem ad mundum & superbiam adducunt; vt sic commodiùs, quasi in meridianæ lucis claritate meditando, inueniam quanta fecerit animæ meæ in specie, ac toti mundo in genere à principio, quò pro his te sine fine laudē atq; glorificē. Illuminet me quoque secundùm voluntatem, ne vmquam tuæ diuinæ volútati resistam, sed meam semper ad tuam sanctissimam voluntatem quasi ad normá, qua meam voluntatem metiar, accommodem, ne vmquam aliud velim, quàm tu vis. Deniq; ignis inflammat materiam, in quá operatur. Spiritus ergo sanctus, quem in forma ignis misisti, feruere me faciat in fide, spe, & charitate. In fide me ardētem faciat, vt omni specie infidelitatis expurgata & consumpta, ego in vera fidei sinceritate (quæ sola penes fidē Catholicam Romanam inuenitur) me

quàm diligentissimè exerceam ad alios frigidos vel tepidos homines inflammandos. Imò faciat me tam feruentem in fide, vt statim, atque cogitatio aliqua infidelitatis aut superstitionis mihi in mentem venerit, adinstar guttæ aquæ in candens ferrum aut ignis ardentis flammam incidentis, consumatur, quò vera Catholicæ fidei veritas pura & incōtaminata in me semper sit & maneat. Et hoc peto per intercessionem Sanctorum omnium, qui ita fidei feruore inflammati fuerunt, vt pro tui nominis gloria morientes, tormenta sibi illata sæpè non senserint. Reddat quoque inflammatam spem meam, vt ad eam respiciens, curram totis viribus ad hoc, quod per verbum tuum supersperaui. Si ita me in spe inflammauerit, nullus labor mihi difficilis, aut dolor molestus videbitur, sed feruor gratiæ sancti Spiritus eos faciles & suaues reddet propter finem, quem per spem expecto in perpetuū. Sed super omnia inflammet me charitate ad currendam viam mandatorum tuorū. Si hoc in me operetur, similis ei, qui est ipsa charitas, efficiar;

ſicuti ferrum in ignem miſſum, ignitũ redditur. Sit hoc modo in me, cogitet, loquatur, & operetur per me, ſicuti hodie per tuos diſcipulos operatus eſt, qui ab ipſo repleti, locuti ſint variis linguis, prout illis eloqui dabat. O ſi hoc in me ſentirem, nil niſi charitatem ſpirarem, ſiue ſuſtinerem ſiue abſtinerem, ſiue ſederẽ ſiue ſtarem, ſiue ſitirem ſiue eſurirem, ſiue loquerer ſiue audirem, ſiue viderem ſiue ſentirem, ſiue cogitarem ſiue operarer, ſemper ſeſe aperiret charitas: adeò etiam, vt mecum conuerſantes ad veram charitatem inflammarentur. Veni ergo ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuerſitatem linguarum cunctarum gentes in vnitate fidei congregaſti; de quo tibi cum Patre & Filio, ſit laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PARS QVARTA.

BEnedictus iam ſis tu ô Pater miſericordiarum, & Deus totius conſo-

compleuisti, perficiēs hoc per Spiritum sanctum, qui nos sanctificauit, & Filio tuo vnigenito vniuit; vt Spiritu Filij tui potati, cum ipso & per ipsum iam refugium habeamus ad te, qui nos ab æterno in eodem vnigenito Filio tuo dilexisti. A te nihil omissum est, quod salutem nostram promoueat; tantummodò hoc requiritur, vt ego omnium beneficiorum particeps fiam, quò Spiritu sancto inebriatus, cum vnigenito Filio tuo mediatore nostro liberū accessum habeam ad thronum gratiæ, vbi humillimè prostratus cōloquar dona, quæ necdum habeo, vt fiam verè homo secundùm cor tuum. O benedicte fili Dei viui, Iesu Christe Saluator mūdi, sponse mellitissime, laus tibi sit & gloria, qui pro tua promissione nobis satisfecisti. Non erat tibi satis quòd in nostra carne ad cælos ascenderis, naturam nostram cælestem feceris, verùm etiam per Spiritum sanctū diuinos nos in terris fieri voluisti, vt hîc extremis labiis saltem gustaremus, cuius satietate recreabimur in supernis: atq. ita repleti Spiritu sancto vestigia tua sequamur in abnegatio-

ne & mortificatione nostri ipsorũ; quò hîc nos temporaliter negligẽtes & perdentes, perpetuò in te inueniamus. Hæc est voluntas tua mi sponse, pater, frater, & omnia. Sed quando hoc erit nobis? Eia Domine, aperiatur nunc mihi ianua gratiæ, qua Spiritus sanctus ad me intrans, humilem, patientem, castum, & obedientem faciat. Da intellectum amplectendi has virtutes in prudentia, & laboris non pigebit. Adiuua me Domine, quia absq. te, & Spiritus tui auxilio nihil possum, quod gratum sit Patri tuo cęlesti. O igitur Spiritus sancte Deus, sit tibi laus, honor & gloria in sæcula, qui hodie faciem terræ renouasti, & cum filiis hominũ vnionem fecisti, perficiens quod benedictus Dei Filius in carne nobis promeruit. Dignare quæso hæc ipsa in me adimplere, vt in anima &

& fac instrumenta tuę diuinę gratiæ. O creator sancte Spiritus, tu es amor Patris & Filij, operare quęso in me eumdẽ amorem, vt per te simul cũ Patre & Filio te sine fine amem, & totum quod in me est, amor sit ad exemplum Sanctorum omnium, in quibus tu tam mirabiliter operatus es, sicuti in sanctis Apostolis, & super omnes in sanctissima virgine Dei matre Maria: porrò in sancto Martino, sancto Francisco, NN. & omnibus alijs innumeris Sãctis, in quibus tibi complacuisti. Et quare hoc hodie non consequar, cùm tu ipse sis donum Dei altissimi quod nobis datur, cùm teipsum nobis das citra meritum nostrum, ex mera gratia & charitate; quæ existens initium salutis nostræ, hodie facta est consummatio omnium. Eia igitur sancte Spiritus, dona mihi teipsum, vt quod in me est carnis & sensualitatis, moriatur; & hoc quod tu es, solum in me viuat. Tibi me totum resigno, vt tu pro beneplacito tuo me fruaris, & sis mihi omnia in omnibus.

Veni ergo sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium, ad nos inte-

riùs

riùs exteriuſque illuminandos, vt renes noſtros & cor noſtrũ penetres. Veni pater pauperum, & fac nos pauperes ſpiritu, diuites autem virtutibus. Veni dator munerum, ad nos rectè dirigẽdos, ne vlla creatura nos à te, ſalute noſtra, abſtrahat. Veni lumen cordium, & cunctas peccatorum tenebras diſpelle, vt ritè videamus quid agendũ, quídve omittendum. Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, quo ei charior aduenire nõ poteſt. Tu enim conſolaris omnes, qui in triſtitia ſunt. Tu es dulce refrigerium ad afflictos reficiendos. In labore requies, vt diu laborantes nõ defatigentur. Eia ergo refrigera me in tentationibus, ne naturam planè inficiant, da requiem poſt labores, ne planè vires conſumantur. Tu es in æſtu temperies, impediens ne malignus ſpiritus nos exæſtuare faciat, & in peccatum inducat. In fletu ſolatium, qui ſolus in omni afflictione & difficultate nos cõſolaris. O lux beatiſſima, reple cordis intima

aridum, præ charitatis defectu: sana quod est saucium per malas concupiscẽtias: flecte quod est rigidum, vt humiles nos facias: foue quod est frigidũ, vt tuo accẽdamur ardore: rege quod est deuiũ, vt in bono perseueremꝰ. Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium; quò septies confortati, recti atque sinceri inueniamur. Da virtutis meritum, quò de virtute in virtutem euntes maiorem quotidie gratiam consequamur. Da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

FINIS.

APPROBATIO.

Ardeus hæc piarum Meditationum odorem deuotionis spirat, Dominicæ passionis fructum vberrimum continet, peccati toxicum depellit, fidelium mentes sanctâ refectione implet, atque sitientium corda nectare dulcissimo potat. Quare nostro iudicio salutiferè imprimi poterit, Christicolisq́; commendari.

Franciscus Houius, Antiqui Castri Pastor, S.T.L. Librorumq́ue Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum est; nequis,* Meditationes in Paſsionem & Reſurrectionem IESV CHRISTI diſpoſitas per hebdomadam, Auctore Egberto Spitholdio, S.Th. L. Canonico & Plebano Antuerpienſi, *præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthaſaris & Ioannis filiorum Ioannis Moreti p. m. voluntatem, intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſas, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui secùs faxit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna*